minùs amicus erit quàm bonus bono. Ita videtur. Quid porrò ſi bonum,& proprium idem eſſe dixerimus, nónne bonus bono duntaxat amicus? Omnino. At iſtud quoque confutatum à nobis iandudum exiſtimauimus. Recordamini? Optimè. Quo igitur ſermone deinceps vtamur? ad nihil videlicet? Operæpretium itaque eſt inſtar ſapientum in iudiciis quæ dicta ſunt, enumerando reſumere. Si enim nec amantes, neque amati, nec ſimiles, neque diſſimiles, nec boni, nec proprij, nec alia quotcunque dinumerauimus, quorum propter multitudinē haud memini, ſi inquam nihil ex iſtis amicum eſt, nihil equidem quod afferam, ampliùs habeo. Cùm iſta dixiſſem, cogitabam quendam è maioribus natu mouere, ſed ilico tanquam dæmones quidam pędagogi tam Lyſidis quàm Menexeni, vnà cum fratribus illorum, domum eos redire iuſſerunt. Heſperus enim venerat. Primùm itaque nos, & alij circunſtantes pædagogos repulimus. Sed cùm nihil nos curarent, & barbarè quædam ingerentes grauiter ferrent, nihilominus pueros vocarent, illorum procacitate victi, cœtum diſſoluimus. Videbantur enim nobis, quia feſto ſuccubuiſſent, nihil habere quod in medium afferrent. Poſtea iam abeuntib. illis ad Menexenum Lyſidémque conuerſus, hæc breuiter intuli. In præſentia ridiculi ineptiq; euaſiſſe videmur, tam ipſe grandis natu, quàm vos pueri. Siquidem iſti abeuntes nos carpent, quòd amicos inuicem nos eſſe putemus, ego enim me inter vos annumero, cùm nondum quid amicus ſit, inuenire potuerimus.

## PLATONIS THEÆTETVS, VEL, DE SCIENTIA.

### EPITOME MARSILII FICINI IN THEÆTETVM, VEL, De Scientia.

*Dialogus de ſcientia Petre Medices, inſurgit altius, & dignas miro ingenij tui acumine quæſtiones monet, quarum capita, ſolutionéſque in hoc compendio ſummatim animaduertes. Vbi quid ſcientia non ſit, quid ſit, & vnde, & quomodo, diſputatum reperies. Socrates quidem quid ſcientia ſit, interrogat. Theætetus autem reſpondet ſcientiam eſſe geometriam, arithmeticam, cæteráſque huius generis diſciplinas, & artes ſingulas. Hanc Socrates reſponſionem tanquam interrogationi minus congruam reſpuit.*

Definitio per enumerationes vitioſa.

*Quia cùm interrogaretur quid ſcientia ſit, non quid, ſed quot ſcientiæ ſunt, enumerat, & cuius ſcientiæ ſunt, exponit. Qui enim arithmeticam dicit, non ſcientiam ipſam, ſed numerandi ſcientiam: & qui geometriam, metiendi ſcientiam dicit. Deinde ridicula reſponſio eſt, cùm per ignota reddatur. Nemo enim poteſt quid hæc ſcientia numerorum vel figurarum ſit, noſſe, niſi quid eſt ſcientia, nouerit. Præterea ſuperflua reſponſio eſt. Nam cùm poſſet paucis complecti ipſius ſcientiæ rationem, dinumerandis ſingulis infinitum iter ingreditur.*

Scientia an ſenſus.

*Affert poſt hæc Protagoræ definitionem, ſcientiam ſenſum eſſe dicentis. Hominem quippe Protagoras rerum omnium menſuram eſſe cenſet, exiſtentium quidem vt ſunt, non exiſtentium autem, vt non ſunt, & qualibet cuique talia eſſe, qualia cuique videntur. Quales enim res quæque ſunt, tales ſentiri. Quales ſentiuntur, tales phantaſiæ, id eſt ſenſui interiori videri. Quo effici vult, vt ſenſus ſcientia ſit. In hoc ſanè Thales Mileſius, Homerus, Epicharmus, Empedocles, Heraclitus, Protagoras conſenſerunt. Nam cùm inquit Thales, aquam omnium eſſe principium, & Homerus patrem omnium Oceanum, matrem Tethydem eſſe, omnia oſtendunt in fluxu verſari. Hos reliqui quos memorauimus, imitati, nihil eſſe vnquam, ſed fieri ſemper vnumquodque dixerunt. Vnde nihil in ſe abſolutè tale potius eſſe quàm tale, ſed per motum, mixtionem, relationémque vnius ad aliud, huic quidem tale, illi tale, & fieri, & videri. Quòd omnia in motu ſint, ex eo coniectare putant, quòd à motu omnia fiant: quòd autem à motu omnia, ex eo coniiciunt, quòd à quo quidque fit, per illud & conſeruatur. Sed tam illa quæ ad animam, quàm quæ ad corpus pertinent, motu & exercitatione ſeruantur, otio torporéque pereunt. A motu igitur omnia. Præterea quandiu cœlorum ſphæræ mouentur, miſcentur quatuor elementa. Quatenus iſta miſcentur, eatenus inferiora gignuntur: quæ poſtquam genita ſunt, exercitatione ſeruantur, hæc igitur omnia motus efficit. Adducit quòd ex calore generatio, calor ex motu ſolis vel colliſione corporum prouenit. Quòd autem nihil ſecundum ſeipſum vnum aliquid ſit, ſic exemplo inducunt: albedo, & quiſque color, nec oculorum aſpectus eſt, neque corporum motus, ſed ex aſpectu motúque medium quiddam reſultat, id eſt talis circa oculos paſſio. Et ex diuerſa aſpicientis diſpoſitione varióque intuendi modo, colores varij, & aliàs alij, videntur, & fiunt. Præterea radiorum motus varius corpora pulſans, oculóſque feriens, diuerſas & omniformes imagines offert. Quinetiam ſæpe diuerſis hominibus animalibúſque circa idem diuerſus color apparet & eſt: ſæpe quoque eidem, & circa idem, quanquam non eodem, ſed alio tempore, ob naturæ ipſius mutationem. Opinantur igitur quicquid eſt, eſſe motum. Motus autem ſpecies duas, vnam in agendo, in patiendo alteram. horum motuum commixtione omnia, vt ipſi aiunt, conficiuntur. Euentus ſpecie gemini, numero infiniti ſunt, ſenſibile videlicet, atque ſenſus, qui cum ſenſibili ſit ſemper atque congreditur. Quoties enim ſentiendi vis aliqua, & aliquid illi conſonum vnà cohærent, eorum concurſu duo quædam proueniunt: circa id quod obiectum eſt, ſpecies ſentienda, color, ſapor, odor, cæteráque huiuſmodi: circa vim animæ, ſenſus. Quibus diſſimilis, illa non fiunt. Quo fit vt ex iis quæ quinque ſenſibus offeruntur, nihil tale ſuapte natura vel tale ſit, ſed cum ſenſu congrediens aliàs aliud fiat. Nihil enim agens vel patiens ſecundum ſeipſum eſt, ſed in alterno congreſſu vtrunque. Quare nihil ſeipſo vnum aliquid eſt, ſed ad aliud & alicui ſemper fit, nec eſt vnquam, verum fit, fluitque ſemper.*

Socratis confutatio prædictorum.

*Hæc autem ex eo redarguit Socrates, quod ebrij, & hi qui phreneſim patiuntur, & inſani & dormientes cùm ſomniant, nécnon qui ſenſus alio quodam modo corruptos habent, vera ſentire ſe, & cogitare affirmant, cùm omnia tamen illorum viſa falſa eſſe dicamus. Quo efficitur, vt non omnia quæ videntur, vera ſint. In eandem dubitationem cadunt, quæcunque vigilantes ſobriíque ſentire dicimus. Nam æquum fermè tempus ſomno, & vigiliæ viciſſim damus. Idcircò dubium eſt, vtrum hæc an illa potius ſomnia falſáque ſint.*

Reſponſio Protagoræ ad Socratē.

*Qui verò apparentia omnia vera eſſe opinanti volunt, ſic vtique reſponderent, quòd variæ agentium patientiúmue affectiones diuerſa producunt: & obiecta quæ ſentiuntur, agunt ſecundum patientis ſenſus affectionem. Hæc in vigilante, & dormiente, ægrotante, & bene valente alia eſt. Quapropter & alia indicia ſiunt, omnia tamen vera: quia omnia cuique talia ſunt, qualia indicantur. Meminiſſe enim oportet quod ſuprà dictum, nihil ſui natura abſolutè vnum aliquid eſſe, ſed ad alterum, & alteri, & alterius eſſe, quicquid aliquid eſt. Imò fieri quicquid fit aliquid, eſſe verò nihil. Hæc itaque ſibi inuicem conſonant: ſecundum Homerum & Heraclitum, omnia fluere: ſecundum Protagoram, rerum omnium menſuram eſſe hominem: ſecundum Theætetum, ſcientiam eſſe ſenſum.*

Altera Socratis confutatio.

*Aduerſus eos ita Socrates argumentatur. Si ſenſus ſcientia eſt, bruta quæ magis quàm homo ſenſibus valent, ſcientia præſtabunt. Item ſi vera ſunt quæcunque videntur, cuiuſlibet hominis cogitationes æquè rectæ ſunt, nec vllus alio ſapientior, nec homine Deus. Accedit ad hæc quòd inanis eſſet docendi, diſputandi, redarguendi facultas, cùm nihil diſcere oportet eos, qui verè de ſingulis iudicant, neque inquirenda ſint quæ quiſque poſſidet, neque redarguendum aliquid ſit: quandoquidem cogitationes qualibet veræ ſunt. Præterea ſi idem eſt ſentire ac ſcire, vt videre atque audire, cùm primùm literas inſpiciunt pueri nondum eruditi, vident eas, ſciunt igitur, aut ſi neſcire dicantur, dicantur etiam non videre. Et cùm primum barbaros ſua pronunciantes audimus, nondum illius linguæ periti, ſicut audire, ſic & ſcire quæ proferunt affirmabimus: quòd ſi quis intelligere neget, neget ſimiliter & audire.*

Protagoræ altera reſp.

*Reſpondebit ad vltimum hoc Protagoras, quod videmus audimúſue, ſcire: quod ignoramus, nec ſentire quidem. Vt in literis figuram, ſitus partium, & colorem pueri vident, & videntes ſciunt. Voces barbaras audientes, mox acutum, & graue vt audiunt ita ſciunt: literarum verò vocúmque ſignificata cùm non ſentiant, prorſus ignorant.*





Contra Protagoram.

*Contra illum ſic infertur. Ex hoc, ô Protagora, ſequitur, vt cùm ſignificata ſciunt, alio quodam quàm ſenſu ſciant. Scientia itaque aliud quiddam eſt quàm ſenſus. Item ſi videre ſcire eſt, non videre neſcire erit. Quod autem quis vidit didicitque & meminit, ſcit. Sæpe verò id non videt, ergo & neſcit, quapropter idem ſimul & ſcit & neſcit. Præterea ſi vno oculo aliquid videas, alio clauſo nihil cernas, illud vides pariter & non vides. Quare litigioſus quiſpiam dixerit: Si videre ſcire eſt, & non videre neſcire, idem ſcis ſimul & neſcis. Adde quòd cùm quid eminus & confuſè proſpicis, vides quidem, neſcis tamen, cùm dubites. Non igitur ſcientia ſenſus eſt.*

Reſponſio Protagoræ.

*Reſponderet fortè Protagoras, primò quidem de memoria & ſcientia diſtinguendo. Nam cùm primùm ſentiendo quis patitur, memoriter tenere incipit, deinde etiam non patiendo meminit, cùm iterum idem ſentit patitúrque, reminiſcitur, in primo quidem ſcit actu, non habitu: in ſecundo, habitu, non actu: in tertio, & actu ſimul & habitu, quare interdum & ſcit & neſcit. Neque tamen hæc contraria. Nam non eodem modo quo ſcit, ignorat. Ergo cùm non videt, meminit tamen, ſcit habitu, actu neſcit. Hæc verò contraria non ſunt. Et cùm à Socrate dicitur alius alio ſapientior, reſpondet Protagoras, non ex eo ſapientes quoſdam, inſipientes alios eſſe vocandos, quòd alij vera, alij falſa opinentur. Nam opinari vnumquenque illa quæ quiſque patitur, pati ea à quibus mouetur, moueri ab his quæ agunt, agere illa quæ ſunt, quæ ſunt vera eſſe. Ex quo omnes opinari vera concludit, non tamen omnes bona atque decora. Sapientes aſſerit eos, qui bene affecti quæcunque offeruntur vt bona ſuſcipiunt, bonaque ſibi putant, & vt putant, ſunt. Inſipientes illos, qui male affecti, mala iudicant, & mala ſibi ſunt quæ iudicant. Contra id quod dicitur, omnes vera opinari, ſic Socrates. Accidit in omni vita & ſingulis facultatibus, vt exiſtimemus in quibuſdam noſmetipſos verè iudicare, in nonnullis alios, quiſque enim facultatem aliquam profitetur, & alteri in aliena arte concedit. Aut exiſtimatio hæc vera, aut falſa eſt. Vtrinque ſequitur, non omnes homines verè putare. Nam ſi vera exiſtimatio illa, verum erit quod quidam in multis verè iudicat, in quibus nos falsò opinamur. Non omnes igitur vera opinantur. Sin falſa, ergo in hoc ſaltem ſæpe decipimur, quare non omnis opinio vera. Quinetiam ſæpe contingit, vt quæ vnus, vt vera cogitat, ab omnium aliorum opinione abhorreant: illa igitur illi vera, falſa aliis videbuntur. Erunt igitur falſa, tamen plus quàm vera, quò plures ſunt quibus falſa quàm quibus vera putantur. Non ergo menſura rerum ille, ſed alij. Quare non omnes menſura rerum omnium ſunt. Item Protagoræ ſententia, quòd omnis opinio vera ſit, Paradoxon eſt, & præter omnium fermè ſententiam, ex quo omne penè genus hominum falſam eius opinionem cenſet: quòd ſi vera eſt omnis opinio, verum & hoc vniuerſale iudicium, ergo vt falſa putatur, ita & eſt Protagoræ ipſius poſitio, qua dicitur omnem opinionem eſſe veram. Nam ſeipſam, ita dicendo, falſam eſſe concedit. Et ſi dixerit falsò putare illos, qui ab eius dictis abhorrent, hinc quoque idem ſequitur, non omnem ſcilicet opinionem eſſe veram. Præterea qui ignorat, menſura eius quod ignorat eſſe nequit. Qui dubitat, ignorat: omnes homines dubitant, multa ergo ignorant. Non omnes itaque omnium menſura ſunt. Cùmque dicit, qualia cuique ſingula videntur, talia ſunt, aberrat. Quæ nanque medicinæ artis ignaris ſalubria corpori noxiáue videntur, non ſemper talia ſunt, ſæpe illos opinio fallit: & quæ vtilia vel noxia in reipublicæ adminiſtratione ciues deliberando decernunt, non ſemper reipublicæ talia ſunt. Obſunt enim multa quæ profutura ſperabant: & quæ nocitura, proſunt. Quòd ſi ipſum ſalubre, & vtile non ſola opinione hominúmque conſuetudine conſtant, ſed aliquam ſuapte natura ſubſtantiam habent, multò magis honeſtū ipſum atque bonum, quippe vtilium principium eſt, & finis. Quapropter nec in his quæ ad corporis curam, nec in illis quæ ad animam & reipublicæ gubernationem ſpectant, qualia cuique ſingula videntur, talia ſunt. Etenim ſi quæcunque videntur, talia eſſent, quoties quis futura prædiceret, verè nimirum præſagiret, quod quidem falſum eſt. Rarò enim futura talia veniunt, qualia cogitantur. Et ſi quis de futuris iudicat, non quiuis id agit, ſed artifex de his quæ ad eius artem ſpectant. Vt futuram febrem medicus potius quàm muſicus, futuram conſonantiam muſicus melius quàm medicus præuidet. His denique confutatis occaſionem ſumens Socrates à libertate vel ſeruitute loquendi, de libertate philoſophantium, & ſeruitute ciuilium ac rhetorum diſputat, qualis ſit vtrorumque vita: quòd philoſophi finis eſt, ab humanis malis ad ſuperna bona conſcendere: de præmiis eorum qui cœleſtia petunt, pœnis eorum qui terrenis inhiant. Qua digreſſione peracta ad propoſitam quæſtionem reuertitur. Eius fundamentum erat Heracliti ſententia, quòd omnia moueantur. Cuius contrarium Parmenides, & Meliſſus, & Eleates Zeno ſenſerunt. Omne enim vnum & immobile poſuere. Quorum dogma Plato in libro, De vno rerum omnium principio, quem traduximus, exponit & approbat.*

Plato approbat Parmenidem dicentē omnia eſſe vnum & immobile.

*Contra verò Heraclitum & Protagoram à motus diuiſione diſſerere incipit. Motus duo ſunt genera. Vnus ſecundum locum motus, ſecundum rei naturam alter. Latio illa, alteratio hæc dicitur.*

Diſtinctio motionum.

*Lationis ſpecies duæ, tranſitus & circulatio. Quia vel de loco ad locum fit tranſitus, vel circa locum vnum eundémque circuitus. Motus verò in ipſa rei motæ natura, aut ſecundum ſubſtantiam, aut circa quantitatem, vel qualitatem efficitur. Si ſecundum ſubſtantiam ad ipſum eſſe quid mouetur, generatio: ſi ad non eſſe, corruptio. Secundum quantitatem ad maius incrementum: ad minus, decrementum dicitur. Motus qui de qualitate in qualitatem, affectio nominatur. Sortitur deinde varia ex variis qualitatibus nomina. Nam qui ad calorem, calefactio: ad frigus, frigefactio. ad colorem, coloratio, ſimilitérque de cæteris. Diſtinctione præmiſſa quærit Socrates, ſi mouentur omnia, vtrum duobus illis motus generibus ſingula, aut vno quodam multa, duobus alia moueantur. Si vno quodam multa, ſequitur non magis illa moueri quàm ſtare. Nam ſi modo quodam mouentur, quodammodo & quieſcunt. Opinio verò illorum non id vult, ſed omnia omnino ſine vllo ſtatu moueri: quò fit vt omnibus motibus agitentur. Ergo dum res è loco ad locum feruntur, ex affectione interim in affectionem iugiter tranſeunt, vt ex calore in frigus, albedine in nigredinem, vel contrà. Quæritur, vtrum ſub vna quadam harum forma aliquantulum maneant, nécne. Si manent, ſequitur vt non omnis ſtatus ſit expulſus. Si non permanent, dum quid calidum aut album pronunciatur, deſinit calidum eſſe vel album. Imò prius quàm pronunciatio incepta deſinat, deſinit eſſe forma. Vnde nihil vnquam verè pronunciatur aut percipitur: nec magis calidum illud, quàm non calidum, album quàm non album eſt prædicandum, cùm in nullo conſiſtat, & ſit & non ſit pariter dum profertur. Quam ob cauſam rerum formæ nobis ignotæ ſunt. Idem de ſenſu dicendum. Nam nec viſus in viſione, nec in audiendo auditus momentum permanet. Quocirca non magis videre aut audire, quàm non videre, & non audire contingit, etiam dum videre & audire nos profitemur. Ex quo ſequitur, vt ſublatis ſenſibus ſublata ſit & ſenſuum veritas: qua ſublata, nullo modo dicendum ſenſuum ſcientiam eſſe. Addit & aliam rationem, ad cuius intelligentiam aduertendum eſt, quòd Plato nullam corpori cognitionem tribuit, quemadmodum nullam vitam. Quod viuit, id ſentit: viuit anima, & anima ſentit. In corpore autem nec vita nec ſenſus, ſed vitæ ſenſúſque opera declarantur. Ideò quos ſenſus quinque alij vocant, ipſe organa quinque ſenſus appellari vult, nihilque his inſtrumentis ſentire, ſed per hos, quaſi meatus ab vna quadam animæ vi ſentiri ſingula putat, quem ſenſum communem vocat, in quem vndique è ſingulis corporis organis, vt ad cētrum circuli è circunferentia lineæ variæ paſſiones influunt. Colores quidem per oculos, per aures ſoni, per nares odores, ſaporéſque per linguam, denique per totum corpus calor, frigus, humidum, ſiccum, graue, leue, molle, durum, lene, aſperum, rarum, denſum, acutum ſimiliter & obtuſum. Quòd anima iſta non multis, ſed vna vi ſentiat, patet: quia ſentiendo colorem, dicimus non eſſe vocem: & ſaporem ſentiendo, non eſſe odorem pronunciamus. Non poteſt aliud ab alio diſtinguere, qui non vtrūque cognoſcit. Nullum organum eadem quæ & aliud organum porrigit: & ſi eadem, non eodem modo. Idcirco eorum quæ ſentiuntur diſtinctio, non in organis eſt, ſed in vna quadam vi animæ percipiente ſingula, & ſingula ſimul à ſingulis diſtinguente. Quæ cùm ipſa hæc omnia ſola poſſit, quod nec etiam Peripatetici negant, quid multis ſenſibus opus eſt? Hic ſenſus quem communem vocant, omnibus animalib. ſtatim natis ineſt. Præter quem eſt & alia vis, quam phantaſiam, opinionem, cogitationémque nominat. Cuius officium eſt, de his, quæ communis ſenſus per organa quinque ſenſit, iudicare, non quare ſolum, ſed quid ſunt, quod eorū vnumquodque idem eſt ſecum, ab alio aliud, vnum ſeorſum, iuncta verò ſimul duo vel tria, ſimilia itē & diſſimilia, bona vel mala, pulchra, turpia, vtilia, noxia, & ab vno in aliud ratiocinando percurrere, aliud applicare cum alio, & præterita & futura*

Phantaſia, opinio, cogitatio eadē vis eſt vltra ſenſum communē apud Platonem.

cum præſentib. comparare. Itaque hac vi eſſentiam, vnitatem, numerum, idem, alterum, ſimilitudinem, diſſimilitudinem, pulchrum, turpe, bonum, malum, vtile, inutile iudicamus. Quod equidem iudicium cùm non ſtatim natis adſit, ſed longo poſt tempore, nec omnibus animalibus, ſed quibuſdam, patet quod alia quadam vi præter communem ſenſum hæc percipimus. Hanc phantaſiam perfectam, & opinionem nuncupat. Quæ tamen ipſa non ſufficit. Nam hæc omnia proprio quodam, & particulari modo, certo ſub tempore locóque, & conditione iudicat. Scimus autem nos de iiſdem in genere, & vniuerſali modo etiam iudicare, non quid nunc homo hic, vel vbi hoc vtile, verùm quid ipſa ſemper humanitas, quid paſſim vtilitas ipſa ſit. Ideóque alia vi opus eſt, quæ vniuerſales rationes rerum generatim percipiens de vna diſcurrat in aliam, diſcurrendóque argumentetur. Quod quidem in nobis fieri dum ſyllogiſmos nectimus, nemo dubitat. Hanc rationem vel cogitationem dicimus vniuerſalem: cum opinionem ipſam, particularem rationem cogitationémque nuncupemus. Ad hanc denique mens accedit, quæ omnes rationes rerum non diſcurſu, ſed ſimplici ſtabilíque intuitu percepit. nam ſupra motum ac tempus, ſtatus & æternitas eſſe debet. Motus quidem & tempus in ratione: in mente ſtatus eſt, & æternitas. Non enim aliud poſt aliud diſcit, ſed ſimul omnia tenet. Supra mentem ipſa animæ vnitas eſt ſummi boni character, qua non rerum rationibus ideíſque, ſed primo rerum omnium principio, quod ipſum vnum eſt, iungitur. Cùm autem animæ vires, quæ in cognitione verſantur enumeratæ ſint, & ſcientia in cognitione conſiſtat, in qua potiſſimum vi ſcientia ſit, videndum. Senſui quidem non conuenit, vt multis iam rationibus conſtituit, & hac præcipuè, quia ſenſus ille communes eſſentias rerum non iudicat, ſed paſſiones quaſdam corporum ſolummodo percipit. Quiſquis ignorat eſſentiam, ignorat & veritatem. Qui veritatis eſt expers, à ſcientia nimium alienus. Non ergo in ſenſu ſcientia, vbi anima non per ſe, ſed per corpus percipit, atque ideò ſæpe decipitur. Sed in phantaſia forſitan, & opinione conſiſtit, vbi eſſentias iam percipimus, & anima per ſeipſam ſine corporis miniſterio iudicat. Atque hæc ſententia ſecundo loco Theæteto placet, quòd ſcientia ſit opinio, non qualibet tamen, ſed opinio vera: falſa autem opinio, ignorantia. Cùm verò Theætetus opinionem in duo diſtinxiſſet, veram & falſam, quæſiuit ilico Socrates, quomodo falſa opinio eſſe poſſit. Vnúmque ſupponit, quòd quiſquis opinatur, aut ea quæ nouit, aut quæ non nouit opinatur. Vnde in hunc modum ratiocinatur. Qui opinatur falſa, nunquam ex eo falſa opinatur, quòd putet aliqua quæ nouit, alia quædam eſſe quæ etiam nouit. Nam qui vtraque noſcit, aliud pro alio nunquam accipit. Neque quæ non nouit, alia quædam quæ non nouit. Nihil enim de illis quis iudicat, quæ nunquam in cogitationem venerunt. Neque quod nouit, id quod nunquam nouit: aut contrà quod non nouit, id quod nouit eſſe. Quis enim pro ignoto notum, vel pro noto ignotum accipiat? His igitur modis opinari falſa, nullius poſſe videtur. Fortè verò vel alio quodam pacto falſa homines opinantur, cùm ea quæ non ſunt, opinantur. Ex quo falſa opinio erit, ea quæ non ſunt opinari. Sed neque id fieri poteſt. Quiſquis enim videt, vnum aliquid videt: qui vnum aliquid videt, exiſtens quoddam videt: qui verò non exiſtens videt, nec vnum aliquid. Qui non vnum aliquid, nihil: qui nihil videt, nec videt quidem. Ergo aut non videt, aut quod eſt videt. Similiter de auditu ac cæteris ſenſibus affirmare poſſumus. Quamobrem cùm opinio ſenſum ſequatur quicunque opinatur, vnum aliquid opinatur: qui vnum aliquid opinatur, exiſtens aliquid opinatur. ergo quod eſt opinatur. qui verò non exiſtens, etiam nec vnum aliquid. Si non vnum aliquid, nihil igitur. Si nihil opinatur, nec opinatur quidem. Itaque aut non opinatur omnino, aut quod eſt opinatur. Quapropter neque hoc modo falſa aliquis opinabitur, quòd quæ non ſunt opinetur. Accedit modus alius quo commutatio fit, ita vt aliud pro alio accipiamus: vt pro pulchro turpe, & pro vtili inutile. quod quidem Socrates ita refellit. Opinari, ſecum ipſo loqui eſt, dum nobiſcum & interrogamus, reſpondemus, affirmamus atque negamus. Nec eſt locutio hæc intrinſeca extrinſeco ſermone deterior. In extrinſeco verò ſermone nullus vnquam dicit quod turpe eſt, eſſe pulchrum: & quod homo, bouem eſſe: quod par impar, aut huiuſmodi aliquid. Quare multo minus cogitando aſſeret, horum vnum aliud eſſe. Nam aut noſcit vtraque, aut alterum ſolum. Si vtraque, nunquam vtique commutaret. ſi alterum neque ſic etiam. quod enim cognoſcit, nunquam pro illo quod nondum in cogitationem venit acciperet. quo fit vt nondum inuentum eſſe videatur, quomodo falſa opinio nobis inſit. Vtitur hic Plato, & in Philebo, Sophiſta, atque Menone, ſex nominibus ad eandem vim animæ pertinentibus, ad ſex illius officia ſignificanda. Nam cùm poſt ſenſum communem anima eadem quæ & communis ſenſus apprehendit, opinante potentia percipit, prima ipſa perceptio, imaginatio dicitur. Vt apprehenſa conſeruat, memoria. Vt iterum quæ ſeruauit, in ſeipſa reſumit, reminiſcentia. Et cùm reſumendo de alio in aliud quaſi quadam ratiocinatione diſcurrit, cogitatio. Poſtquàm verò diſcurſu peracto affirmatur aliquid vel negatur, opinio. At verò cùm opinione percepta per ſenſum atque memoriam anima cogitatione refingens ita in hæc reſpicit velut in illa à quibus iſta manarunt, & quæ imagines ſunt, res veras eſſe putat, picturam quandam, & phantaſiam Plato nominat. Et cùm ceream inducit effigiem, cerebri naturam nequaquam intelligit. Non enim dixit in corpore, ſed in animo ceream effigiem eſſe. Cùm verò in incorporeo nihil ſit corporale, per tranſlationem quandam operúmque ſimilitudinem potius, quàm ita vt verba ſonant, hæc intelligenda ſunt. Neque in corpore figi vult rerum imagines, neque in animo ab externis obiectis effingi, ſed vel ex natura ſua habere illas animum, vel occaſione ab externis motibus corporiſque paſſionibus ſumpta in ſeipſum ſua vi formas rationeſque concipere. Qui de his dubitat, Plotini ſummi interpretis commentaria legat.

Formæ quæ ſunt in animis, non ex ſunt quæ ſũt extra.

His expoſitis ad opinionis falſæ modos redeundum eſt. Inducit plurimos Socrates, & multos reſpuit, & vt ſophiſtarum faſtum reprimat, ſæpe quæ conceſſa ab illis ſunt, iterum atque iterum confutat. Tandem ex Platonis mente colligendum eſt, quòd quando ſenſibile quoddam primò nobis occurrit, eiúſque occurſu ſenſus in nobis efficitur, & à ſenſu memoria, ac deinde rurſus idem nobis obiicitur, memoriam præcedentem cum ſequente ſenſu componimus, & in his iam dicimus Socrates, equus, ignis, cæteráque huiuſmodi. Atque hæc opinio quædam nuncupatur, componentibus nobis præcedentem memoriam cum recente ſenſu. Et quoties hæc quæ colligantur, inuicem conſonant, opinio vera exiſtit: ſi diſſonant, opinio falſa. Nam ſiquis dum Socratis ſpeciem in memoria ſeruat, Platonem ipſum offendat, putétque ſe ob quandam ſimilitudinem Socrati rurſus occurrere, poſtmodum Platonis ſenſum velut à Socrate hauriens, memoriæ Socratis ipſum accommodet, opinio falſa reſultat. Atque hoc pacto opinio falſa fit ex collatione ſenſus ad cogitationem. Fit & alio modo, collatione commutationéque cogitationis vnius ad alterius cuiuſdam cogitationem.

Quæ vera, quæ falſa opinio.

Duæ ſpecies opinionis falſæ.

poteſt enim quis numerorum quorundam ſpecies, quæ in memoria latent, etiam abſque præſente ſenſu, cogitando inuicem permutare, ita vt XII. pro XI. & contrà XI. pro XII. capiat. Verùm dubitatio quædam ſuboritur. Nam quicunque ſpecies ſeruat, ſcit ea quorum ſpecies habet. hos ergo ſcit numeros. Sin commutat, ignorat. Quare ſimul eadem & ſcit, & ignorat. Reſpondendum, non eſſe abſurdum vt is qui vno modo ſcit, ignoret alio. Nam is habitu quidem ſcit, actu ignorat. Quocirca his nihil impedientibus, duæ falſæ opinionis ſpecies inuentæ ſunt, & paulò antè expoſitæ. Oritur & alia dubitatio. Quia ſi quis dum ſcientias duorum quorundam habet, commutando falsò opinetur, & alterum pro altero capiat, videtur rem ipſam cuius habet ſcientiam, ignorare: & quod deterius eſt, ſcientia ipſa, non ignorantia ignorare, cùm ipſa ſcientia commutationis cauſa ſit, ignorantiæ commutatio. Quòd ſi ita eſt, cùm ſcientia ignorare nos faciat, nihil prohibet quin ignorantia ſcire efficiat. Reſpondet ad hæc Theætetus, ponendam in animo inſcitiæ ſicut & ſcientiæ ſpeciem, & qui alteram pro altera capit, falli, atque ità per ignorantiam potius quàm per ſcientiam ignorari. Reſponſio hæc minimè ſufficit, quin eodem modo quo & ſupra, quæretur, ſi commutat eas inuicem ſpecies, vtrum cognoſcat vtranque, aut ignoret, aut alteram norit, alteram ignorauerit. Vnde ſuperior controuerſia omnis redibit. Item ſi ponenda ſpecies qua ſcientia noſcitur, & qua inſcitia, iterum ſpecies aliæ quibus ſpecies hæ noſcuntur, ponendæ ſunt, & aliæ rurſus quib. illæ. atque ita in infinitum progrediemur. Quocirca non ita, ſed aliter reſpondendum. Nã dicendum erat, vt Socrates ſuprà tetigerat, quòd non rerum notiones permutationis cauſæ ſunt, ſed confuſio notionum, negligentia diuturna: externa ſimilitudo haud exactè diſcuſſa. Non ergo ſcientia, imò confuſione, negligentia, deceptionéq; ignorare videmur. Quanquam hæc haud abſolutè iudicari prius poſſunt, quàm quid eſt ſcientia, fuerit declaratũ. Nam per lucem tenebras, per ſonum ſilentium, per bonum malum, per verum





falſum dignoſcimus. Ante igitur quid ſciẽtia eſt, definiendum videtur, quàm falſa opinio declaranda, ſi perfectè illam comprehendere cupimus. Hinc Theætetus ſcientiam eſſe veram opinionem aſſerit. Quod quidem ex eo confutat Socrates, quòd oratoria facultas perſuadet, nõ docet: qui perſuadet, opinionem inducit, & opinionem veram, cum vera refert, neque tamen ſcientiam. Nam de his quæ in motu ſunt ſemper, & aliàs ſe aliter habent, certa nunquam ſcientia eſt. Talia verò ſunt humana negotia, de quibus oratores agunt, præſertim cùm ſæpe ad ea credenda auditores inducant, de quibus ipſi dubitant, & quibus nunquam interfuerunt. Addit poſt hæc Theætetus Leucippi, & Cyrenæi Theodori definitionem. Scientia eſt opinio vera cum ratione. & idcirco quæ rationem habent, ſciri poſſunt: quæ ratione carent, minimè. Et Prodicus Chius Leucippum imitatus, elementa rerum, quia ſimplicia ſunt, proptereaq́; ſine ratione ignota eſſe aſſeruit: compoſita verò, cùm rationem habere poſſint, nota. Rationem quidem definitionem, & orationem quandam declarantem rei ſubſtantiam proprietatémque intelligunt. Quæ quia plura includit, ſubiectũ & prædicatum, interdum etiam copulã, id eſt verbum & nomina, compoſitum quoddam ſignificat. Elementum verò ſimplex, ideóq; rationis expers, & ignotum relinquitur. Duo quæ dicta ſunt, Socrates confutat, prius quidem poſterius hoc, quo dicitur, Elementa, quia ſimplicia, ignota: quæ ex his effecta ſunt, quia compoſita, nota. Deinde prius illud, quòd ſcientia ſit cum ratione opinio vera. Et exempli cauſa pro elementis literas accipit, pro compoſito ſyllabam. Verùm quæ de his tradit, de rebus omnibus intelligi vult. Prima contra illos ratio eſt. Quia quemadmodum compoſita ab elemẽtis dependent, ita compoſitorum cognitio ab elemẽtorum cognitione perficitur. Neque enim ſine cauſa, quæ à cauſa ſunt cognoſci poſſunt. Quapropter impoſſibile eſt, ignoratis elementis ſcire compoſita. Item ſume compoſitum quoddam, vt ecce So, primam nominis Socratici ſyllabam. Vtrum ſyllaba hæc vtraq; elementa eſt? An vna quædã ſpecies ex elementis cõgredientibus nata? Si vtraq;, ergo quiſquis ſyllabam hanc, ſo, nouit, vtraque elementa nouit. Interrogatuſq; quid eſt ſo, ſ, & o, reſpondebit. Et ſi ſ, & o, ignorabit, ſo, nunquam cognoſcet. Nam qui vtrunq; neſcit, neſcit & ambo. Impoſſibile igitur eſt ignoratis elemẽtis cõpoſita noſſe. Sed dicet fortè aliquis, ſyllabam, & vnamquanq; ſpeciem, non elementa, ſed vnũ quiddã præter illa exiſtere. Quem Socrates ſic interrogat: Vtrum ſpecies hæc & ſyllaba partes habeat néc ne. Si habet, totũ quoddam eſt, & omne. Totum verò, & omne nihil aliud eſt quàm partes omnes, quod in numeris patet. Etenim totus numerus, nihil aliud eſt quàm omnes quas continet vnitates, atq; ita ſpecies hæc conſtabit ex partibus, & partes eo ipſo quod erunt, totius erunt. Sicut ergo nota ſpecies: ita & elementa cognita. Nã ſi ſpeciem noſcit, totum & omne noſcit. Si totum & omne, nullã ipſi ex partibus eius deeſſe cognoſcit. Ergo ſingulas ſcit partes habere, ſingulas itaq; noſcit: quas ſi ignorarit vtrum omnes adſint, néc ne, ſcire nõ poterit. Impoſſibile igitur ignoratis elementis ſpeciem noſcere. At ſi quis dixerit ſpeciem ipſam vnam partes nullas habere ex eo quòd elementa quibus conſtat, partes eius non ſunt: ſequitur vt ſimplex, & impartibilis ſit. Quare ſicut elementum quia ſimplex, ignotum dictum fuit, ita & ſpecies ipſa quia ſimplex, ignota eſſe dicetur. Ideoq; nullo modo fieri poteſt, vt ignoratis elementis ſpecies, quæ ex his ſiunt, noſcantur. Quod ex eo quoque perſpicue patet, quòd in ſingulis artibus fundamentum cuiuſque artis intelligendæ eſt, elementa rerum ipſarum de quibus ars ipſa agit, comprahendere. Alioquin labor omnis eſt irritus. Hoc denique confutato, Socrates iam principalem propoſitionis partem refellere incipit, vbi dicebatur, Scientiam eſſe opinionem veram cum ratione. Tria enim rationis nomine ſignificari poſſunt, aut oratio, aut per elementa rei diſcurſus, aut definitio. Si primũ, omnis opinio ſcientia erit. Siue enim vera ſeu falſa opinemur, quod ſentimus ſermone proferre valemus: ergo ratione opinabitur, etiam qui falſa opinabitur. Si ſecundum quoties quis per elementa diſcurret, ſcire dicetur. Id verò idcirco falſum eſt, quia elementa diſcurrendo tranſponere poteſt, ordinemq́; peruertere, & elementum vnius rei in aliam quandam referre, et vni elementum alterius accommodare. Qui verò iſta confundit, ſcire non eſt dicendus. Si tertium, id eſt definitionem intelligit, & ſcientiam vocat opinionem veram cum definitione, ſic contrà illam argumentatur. Definitio interpretatio differentiæ eſt: ideo quicunque definit, præter res cõmunia differentiam propriam aſſignat. Sed qui Socratem verè, & Theætetum opinatur, vtrum differentias opinando Socratis & Theæteti percipit, néc ne? Si non percipit, nec verè opinatur, nunquam enim alterum ab altero verè diſtinguerem, niſi differentias vtriuſque dignoſcerem. Ergo eo ipſo quo verè opinatur, differentias callet. Quare nihil opus eſt præter opinionem veram, addere rationem, id eſt differentiæ notionem. Verùm dicet fortè quiſpiam, in ipſa opinione ſenſum quendam imaginationemq́; differentiæ includi, potius quàm certam differentiæ naturalis intelligentiam, ideoq; addẽdum in ſcientiæ definitione, differẽtiæ intelligentiam. Contra hunc ita Socrates argumentatur. Abſurda profectò definitio eſt, quæ idem per idem deſcribitur. Cùm verò dicimus ſcientiam eſſe opinionem veram cum ratione, id eſt cum differentiæ intelligentia, ſcientiam per ſcientiam definimus. Nam intelligentia differentiæ, differentiæ ſcientia eſt, vnde ſcientia erit opinio vera cum ſcientia differentiæ, quod dictu ridiculum eſt.

Septem definitiones ſcientię redditę à ſophiſtis.

Ex his omnibus iam falſæ ſophiſtarum definitiones redargutæ ſunt. Prima quæ dicebat ſcientiam eſſe ſingulas, quæ diſcuntur facultates: ſecunda, quæ ſcientiam eſſe ſenſum: tertia ſcientiam eſſe opinionem veram: quarta, ſcientiam eſſe opinionem veram cum ſermonis prolatione: quinta, opinionem veram cum diſcurſu per elementa: ſexta, opinionem veram cum differentiæ imaginatione: ſeptima, opinionem veram cum ſcientia differentiæ. His denique redargutis videndum eſt quid Plato doceat, quippe in ſexto libro de Republica Brontinum, & Archytam Pythagoricos imitatus, duo rerum genera ponit, intelligibile ſcilicet, & ſenſibile. Illud ſtabile & incorporeum: hoc mobile corporeúmque. Viam ad illud noſcendum rationem vocat, viam ad hoc ſenſum: notionem communem illius, intelligentiam: huius, opinionem. Sed vtrunque genus bifariam diuidit. Vult enim eſſe intelligibile primum, & ſecundum: in eo ideas, id eſt diuinæ mentis ſpecies notionéſque, & mentes alias & animas contineri: in hoc numeros & figuras. Numeri quippe & figuræ quamuis incorporalia ſint, tamen quia diuiſionem aliquam ſuſcipiunt, non pari dignitate quæ impartibiles ſubſtantiæ cenſenda ſunt. Illorum cognitionem proprio nomine intellectum, horum cogitationem intellectualem vocat. Senſibile quoque pari diuiſione partitur, in primum ſcilicet, et ſecundum. In primo locat corpora omnia corporeáque. In ſecundo vmbras, & imagines corporum, ſiue in aqua, ſiue in ſpeculis appareant. Et eas ita ſe habere ad corpora, vt mathematica ad diuina exiſtimat. Perceptionem corporum, credulitatem propriè nominat: vmbrarum, imaginationem. Deinde circa vmbras corporum, vel corpora, vel mathematica, ſcientiam eſſe negat, ſed in ſolo intellectu diuinorum eam locat. Quod & in hoc dialogo ſignificauit in principio, cùm ſcientiam & ſapientiam idem eſſe proponeret. Nam ſapientiam eſſe diuinorum contemplationem vbique teſtatur. Quo verò differat intellectus ipſe, id eſt ſcientia ab opinione, in libro De natura his verbis oſtendit: Si intellectus veráque opinio duæ res ſunt, neceſſe eſt ideas per ſemet intellectu potius quàm ſenſu cõprahendi. Sin verò vt quibuſdã videtur, vera opinio ab intellectu nihil differt, omnia quæ corporea ſentimus, certa habẽda ſunt. Sed opinor duo eſſe dicenda, propterea quòd vtraque magna differentia diſtant: quippe quorum alterum doctrina nobis inſinuat, alterum perſuaſionis aſſumptio. Alterum quidem ſemper cum ratione vera: porrò ſine vlla ratione alterum. Alterum eorum nulla ratione traducibile, alterum nutans incertumq́. Quid, quòd rectæ opinionis omnis homo particeps? Intellectus autem Dei proprius, & paucorum admodum electorum hominum? Eadem fermè in Menone Philebóque teſtatur. Quid ergo ſcientia eſt? Diuinarum rerum certa ratione comprahenſio. Hæc intellectu, primò ac ſemper. In ratione ſecũdo, nec ſemper. Nam ratio cùm inter intellectum opinionemq́; media ſit, quoties ad inferiora porrigitur, opinionis repletur erroribus, & diuina cogitare deſiſtit. Cùm verò ad mentem ſui ducem conuertitur, diuinorum cognitionem haurit. Quam proprio nomine in mente ſapientiam, in ratione reminiſcentiam Plato nuncupat. Et ideò de obſtetricia facultate per quã reminiſcimur, hoc in dialogo diſputauit, vt non modò quid ſcientia ſit, verumetiam quomodo acquiratur intelligeremus. Imo & vnde ſit & per quem, explicauit: dũ diceret Socratẽ Dei iuſſu obſtetricio munere fungi. Eſt ergo ſcientia, diuinorum certa ratione comprahenſio, in mente reſidens, in rationem profluens, à Deo mẽti inſerta, à dialectico præceptore in rationẽ deo aſpirante reducta, rationẽ in mentẽ dirigẽs, mentẽ cũ diuinitate coniũgens.

EVCLIDES, TERPSIO, SOCRATES, THEODORVS, THEÆTETVS.

MOdóne, ô Terpſio, an iam pridem rure veniſti? TER. Pridem ſatis, ac te in foro quæſiui, & miratus ſum quod reperire nequiuerim. EV. Non eram in vrbe. TER. At vbi? EV. Cùm in portum deſcendiſſem, offendi Theætetum, qui Corintho è caſtris Athenas ferebatur. TER. Viuúſne an mortuus? EV. Semiuiuus, vulneribus enim quibuſdam afflictus eſt, & quod deterius, morbo etiam diuturno in caſtris eſt confectus. TER. Num dyſenteria? EV. Hac ipſa. TER. O qualem virum refers in diſcrimine poſitum! EV. Præclarum admodum atque optimum, ô Terpſio. nam paulò ántè nonnullos audiui, qui eum circa rem militarem miris laudibus extollebant. TER. Nec mirum id videri debet, imò longè magis mirandum eſſet, ſi contra ſe haberet. Sed cur non diuertit Megaram? EV. Properabat domum. Ego enim & conſului & obſecraui, ſed ille noluit. Quinetiam comitatus ipſum, cum ego diſcederem recordatus ſum Socratis, atque admiratus quàm diuinè & ſępè aliàs, & de hoc maximè vaticinatus fuerit. Nam paucis diebus antequàm è vita decederet, obuiam factus Theæteto adhuc adoleſcentulo, cum eo diſſeruit, eiúſque indolem & probauit, & admiratus eſt. Deinde mihi Athenas profecto rationes diſputationis illius auditu maximè dignas ſingulas enarrauit, atque inſuper addidit, pręſtantem omnino virum futurum, ſi adoleuerit. Ac vera nimium prædixiſſe videtur. TER. Certè, ſed quinam ſermones? num referre potes? EV. Non verbis, per Iouem, ſed literis. Etenim reuerſus domum ſtatim commentariis eos perſtrinxi: deinde per otium reminiſcendo latius ſcripſi, & quoties Athenas proficiſcerer, ſiquid excidiſſet, Socratem interrogabā, atque huc rediens emēdabam. Quo factum eſt, vt vniuerſa penè diſputatio illa conſcripta ſit. TER. Vera loqueris. Audiui enim hęc à te pridem, & iſta noſſe cupiens, te quæſiturus huc ſæpe acceſſi. Quid ergo nunc obſtat, quo minus percurramus? Enimuero quiete mihi opus eſt. Nam ex agro veniens defeſſus ſum. EV. Ego quoque ad caprificum vſque Theætetum comitatus ſum, quamóbrem libenter admodum requieſcerem. Eamus ergo. Nobis enim quieſcentibus puer aliquis perleget. TER. Probè. EV. Hic, ô Terpſio, liber eſt non ita compoſitus, quaſi Socrates mihi referat, vt reuera retulit, ſed quaſi cum illis præſens diſputet, quibuſcum diſputaſſe mihi narrauit. Hos autem geometram Theodorum & Theętetum fuiſſe dicebat. Ne igitur in ſcriptura moleſtum eſſet, ſi inquam, & inquit, conſenſit, & negauit, ſæpius interponeretur, his vitatis Socratem ipſum vna cum illis diſputantem induxi. TER. Scitè Euclides. EV. Heus tu, accipe librum ac lege. SOCR. Si Cyrenei, ô Theodore, præ cæteris mihi curæ eſſent, quæ ad eos ſpectant abs te potiſſimum exquirerem, ſiqui illic iuuenes geometriæ, aut alteri philoſophiæ ſtudio ardenter incumberent. Nunc autem magis noſtros, quàm illos amo, potiúſque intelligere cupio quinam è noſtris iuuenibus in viros probos euaſuri meritò videantur. Hæc ipſe pro viribus ſemper exploro, & ab aliis ad quos iuuenes confluere video, ſæpe percontor. Te autem non pauci ſectantur, & meritò. Nam & aliorum gratia, & geometriæ maximè, concurſu dignus eſſe videris. Si quem igitur nactus es memoratu dignum, libenter audirem. THE. Atqui, ô Socrates, & me referre & te auſcultare decet qualem è veſtris ciuibus adoleſcentem inuenerim.

Cur in dialogis perſonæ loquentes introducantur. Hunc locum imitatus eſt Cicero libr. de Senectute.

Qui ſi formoſus eſſet, laudare illum vererer, ne cui forſitan illius amore captus videri poſſem. Nunc autem ne mihi ſuccenſeas, non enim eſt pulcher. Similis tibi eſt, ſimo naſo, & prominentibus oculis, quamuis minus ille quàm tu in his modum excedat, liberè tecum loquor: ſcito in primis me nullum adhuc adoleſcentulum reperiſſe, licet cum multis verſatus fuerim, tam mirabili naturę felicitate donatum. Difficile admodum eſt, reperire hominem docilem ſimul & pręcęteris manſuetum atque cum omnibus virilem. Equidem nec fuiſſe vnquam exiſtimo, nec eſſe video, qui ita natura ſint inſtituti. Cæterum acuti vt hic ſagacéſque, & memorioſi, & dociles, vt plurimum in iracundiam impetúſque pręcipites ſunt, proruunt enim atque raptantur, quemadmodum ſine retinaculis naues, & furioſi potius quàm fortes exiſtunt. Graues autem ſæpe cum ad diſciplinas ſe conferunt, ſegnes, torpentes, obliuioſi ſunt. Hic verò ita leniter, liberè, ſuauiter, expeditè, maxima cum manſuetudine ad diſciplinas quæſtionéſque graditur, vt nec lubricus quietúſque olei fluxus mollior & ſuauior videatur, & vt mirum ſit tantum ingenium tam maturè iſta peragere. SO. Optima nuncias, ſed cuius noſtrorum ciuium filius eſt? THE. Nomen quidem eius audiui, ſed memoria excidit. Eſt autem medius ille eorum qui huc accedunt. Paulò antè enim extra ſtadium vngebantur: at nunc vncti is & ſocij ſui quidam huc aduentare videntur. Aduerte vtrum agnoſcas, néene. SO. Agnoſco equidem. Sunieſis Euphronij filius eſt, vir, ô amice, proculdubio talis, qualem tu filium narraſti, probatiſſimi ante omnes, qui patrimonium amplum reliquit, ſed nomen pueri non audiui. THE. Theętetus, ô Socrates, nomen eſt, patrimonium autem eius tutores diſſipaſſe videntur. Veruntamen liberalitate mirificè pollet. SO. Generoſum hominē narras: iube huc illum accedere & nobiſcum ſedere. THEO. Fiat. O Theætete, accede huc ad Socratem. SOCR. Veni obſecro Theætete, vt meipſum contempler, qualem vultum præferam. Inquit enim Theodorus, vultu me tibi ſimilem eſſe, quòd ſi vtriuſque noſtrûm lyram ſimiliter temperatam aſſereret, vtrum confeſtim id crederemus? an muſicúſne eſſet prius inquireremus? THEÆ. Inquireremus. SOCR. Et ſi talem reperiremus, crederemus vtique: ſin autem muſicæ expertem, minimè. THE. Ita eſt. SOCR. Nunc ergo ſi curæ nobis eſt noſtrûm vultuum ſimilitudo, videndum vtrum pictor ſit qui dicit néene. THE. Sic videtur. SOC. Nunquid pictor Theodorus? THE. Non, quod ſciam. SOC. Geometricus autem? THE. Maximè quidem, ô Socrates. SOC. An & aſtronomus, dialecticus, muſicus, & reliquarum diſciplinarum peritus? THE. Mihi quidem videtur. SOCR. Dum ergo in aliqua corporis parte conſimiles eſſe nos prædicat, laudans quodammodo, vel vituperans, non multum illi fidei adhibendum. THE. Non vt apparet. SOCR. Si alterutrum verò ab animi virtute ſapientiáque laudaret, nónne conueniret hæc audienti laudatum ipſum conſiderare, laudato autem ſeſe oſtendere? THE. Omnino, ô Socrates. SOC. Vide igitur, ô amice Theætete, tua intereſt oſtendere, mea conſiderare. Scito cum Theodorus multos mihi tam peregrinos, quàm ciues laudauit, nullum maioribus ac te laudibus extuliſſe. THE. Bene eſt, ô Socrates,

Facies ſimilis Socrati refertur.

Hominē ingenioſum & manſuetum atque virilē reperire difficile.

Neſcienti quid laudat aut vituperat, non eſt adhibenda fides.



tes, ſed vide ne iocans dixerit. SOC. Non eſt mos hic Theodori: verum ne renuas quę conceſſa ſunt, obiiciens quòd hic iocis agat, ne teſtari cogatur. Nō facile eſt eius teſtimonium refutare, ſed audacter in conceſſis perſiſte. TH. Agendum eſt, ſi tibi videtur. SO. Dic age, diſcis aliqua à Theodoro geometrica? THE. Equidem. SO. Quę verò ad aſtronomiam harmoniámque & dialecticam ſpectāt, diſcis? TH. Annitor equidem. SOC. Ego quoque, ô puer, & ab hoc, & ab aliis, quos aliquid horum intelligere arbitror, diſco: & quo ad alia in his moderatè me habeo, exiguum verò quiddā dubito, quod tecum, & cum iſtis inueſtigandum. Quare mihi reſpōdeas oro. An non diſcere eſt, ſapientiorem in eo fieri quod quiſque di ſcit? THE. Idipſum. SO. Sapientia vero ſapientes ſunt quilibet ſapientes? THE. Certè. SO. Nunquid hoc in aliquo à ſcientia differt? THE. Quidnam? SOCR. Sapientia videlicet. In quibus ſcientes, in iiſdem & ſapientes? THE. Quid prohibet? SOC. Idem igitur ſapientia & ſcientia eſt? THE. Idem. SOC. Hoc illud eſt quod dubito, neque concludere mecum ipſe valeo quid ſcientia ſit, habemus quid ad iſta dicamus? Quid eſſe aſſeritis? quis noſtrûm prior oſtēdet? Quiſquis verò aberrauerit ſempérque hallucinetur, aſinus, quemadmodum pila ludentes pueri dicunt, ſedeat. Sed qui vincet, nihilque aberrarit, Rex erit nobis, & iubebit quicquid reſponderi voluerit. Quid ſiletis? Nónne, ô Theodore præ deſiderio eruditionis incido in ruſticitatem? cupiens vos in diſputationem inducere, amicóſque & collocutores inuicem fieri. TH. Minimè hoc, ô Socrates, ruſticū ſit. Sed ex his pueris aliquem reſpōdere tibi iubeas. Nā hęc diſputandi ratio inſueta mihi eſt, & aſſueſcere nunc ętas prohibet, hos autem magis hæc decent, & longè magis proficient. Reuera enim iuuētus in omnibus proficit, & vt cœpiſti, ne dimittas Theætetum, ſed eum interroga. SO. Audis hęc, ô Theætete, quę dicit Theodorus? cui tu, vt opinor, libenter obedies. Neq; enim fas eſt, vt huiuſmodi in reb. ſapienti viro iuuenis minus pareat. Ingenuè ergo reſponde quid eſſe ſcientiam opineris. THE. Parendum eſt, ô Socrates, quandoquidē vos imperatis: ſi qua enim in re aberrauero, corrigetis. SO. Faciemus proculdubio, ſi quo modo poterimus. THE. Videntur mihi ſcientię eſſe, quæ quis à Theodoro diſcere poteſt, geometria, & reliqua, quæ in ſuperioribus enumeraſti: præterea cerdonum aliorúmque opificum artes, & omnes, & ſingulę nihil aliud quā ſcientię ſunt. SO. Generoſè ac magnificè, ô amice, de vno rogatus, multa, ac varia, pro ſimplici dediſti. THE. Qua ratione id ais, ô Socrates? SO. Fortè nihil dico, quod tamen putem indicabo. Quoties artem cerdonicam dicis, nihil aliud ais, quàm conficiendorū calceorum ſcientiam? TH. Nihil aliud. SOCR. Quid porro, cum tectonicam, id eſt fabrilem artem? num aliud quàm lignorum operum ſcientiam? THE. Nihil certè. SOCR. In vtriſque igitur id declaras, cuius vtraque ſcientia eſt? THE. Profectò. SO. Quæſtio vero noſtra nō hęc erat, quorum ſcientiæ, & quot ſint, non enim numerandi grātia quærebamus, ſed noſcendi quid ipſa ſcientia ſit. An nihil dico? TH. Imo rectè. SO. Aduerte & hoc: ſi quis nos de aliquo horū vilium vulgariúmque percontetur, veluti de luto, quid eſt, eique reſpondeamus, lutum eorum qui ollas, lutum eorum qui puppas, lutum eorum qui lateres fingunt, nónne ridiculi videamur? TH. Fortè. SO. Primo quidem quod putemus eum qui interrogat, intelligere ex illo noſtro reſponſo poſſe, ſi dicamus lutū, & vel pupariorum, vel aliorum quorumcunque artificum tantum addimus: aut putas nomen quiſpiam rei cuiuſquam intelligit, qui non nouit quid ſit ipſa? THE. Nullo pacto. SOC. Ergo neque ſcientiam calceorum intelligit, qui ſcientiam minimè nouit. THE. Non certè. SO. Cerdonicam quoque non intelligit quiſquis ignorat ſcientiam, & aliam vllam artem. TH. Sic eſt. SO. Ridicula itaque reſponſio eſt, ſi quis interrogatus quid ſcientia ſit, artis alicuius nomen reſpōdeat. Alicuius enim eſſe ſcientiam, cùm non hoc rogetur ille reſpondet. THE. Videtur. SO. Præterea, cum liceat ſimpliciter ac breuiter reſpondere, per immenſum circumuagatur. Quemadmodum in quæſtione de luto, leue quiddā, & ſimplex referri poteſt, quod terra humori commixta, lutum eſt. Cuius autem ſit lutum, prætermittendum. THE. Facile nunc, ô Socrates, ita videtur. Videris enim petere quod nuper mihi, & Socrati huic tibi in nomine ſimili, diſputantib. in mentem venit. SOC. Quid iſtud, ô Theætete? THE. Theodorus hic de poteſtatib. ſcripſit magnitudinis tripedalis, & quinquepedalis, quod longitudine non ſint pedali magnitudini commenſuratæ. Eodémque modo diſcurrens, & eliciens ſingula vſque ad magnitudinem ſeptem & decem pedum, in ea tandem conſtitit. Nobis igitur tale quiddam in mentem veniebat, quia infinitæ numero poteſtates emerſerunt, conandum eſt qui in vnum cōprehendantur, quo omnes exprimamus. SOCR. Num igitur inuentum tale quiddam eſt? THE. Mihi quidem videtur, conſidera tu quoque. SO. Dic. THE. Numerum omnem bifariam diuiſimus. Vnum qui poſſit æqualis æqualiter fieri, quem in figura tetragono comparauimus, quadrangularem & æquilaterum appellantes. SOCR. Probè. THE. Et qui inter hunc medius eſt, cuiuſmodi ſunt tria, & quinque, & omnis numerus qui nequit æqualis æqualiter fieri, ſed vel maior rarius, vel minor ſæpius ſumptus ſit, maiúſque & minus ipſum latus ſemper continet, figurę altera parte longiori comparauimus, & numerum altera parte longiorem vocauimus. SO. Egregiè: quid tum poſtea? THE. Omnes lineas, quæ æquilaterum, & planum numerum quadrant, longitudinem eſſe definiuimus: quæ autem altera parte longiorem, poteſtates, vtputa quę longitudine illis nequaquam commenſurabiles ſint, planis autem, quæ poſſunt eſſe commenſurabiles: & circa ſolida aliud quiddam huiuſmodi. SO. Optimè omnium, ô pueri. Quare Theodorus haudquaquam falſi teſtimonij reus fore videtur. THE. Enimuero, ô Socrates, quod de ſcientia quæris, non ita vt de longitudine & potentia reſpōdere valeo, quanquam huiuſmodi quiddam perquirere mihi videris. Quo fit vt falſus Theodorus viciſſim appareat. SO. Quid vero? ſi te à currendi velocitate laudaſſet, addens nullum ex pueris promptiorem curſu vidiſſe: deinde currendo & ab adulto, & celerrimo quodam vincaris, num putares minus eum te verè laudaſſe? THE. Nequaquam. SOCR. Scientiam verò, vt paulò antè dicebam, leue quiddam inuentu, an graue potius ſupremúmque dicis? THE. Per Iouem ſupremum aliquid arbitror. SOCR. Confide viribus tuis, teſtimoniúmque Theodori ne paruipendas. Annitere omni ſtudio cum de aliis, tum etiam de ipſa ſcientia, rationem quid ſit, conſequi. TH. Annitendi cauſa, ô Socrates, hæc agemus. SOC. Age iam, bono animo eſto, egregiè nāque modo expoſuiſti. Conare imitās reſponſion

An idem ſit ſapientia & ſcientia.

Prima diffinitio ſcientiæ.

Lutum quid ſit.




Latera huius tetragoni ſunt media inter tria & quinque, & cum eis ſunt longitudine incommenſurabilia, potentia verò commenſurabilia: productū enim illorum eſt æquale tetragono, vt patet.

ſionem illam de poteſtatibus, quemadmodum eas multas vna ſpecie compræhendebas, ita & ſcientias multas vna ratione complecti. THE. Scito, ó Socrates, me id ſæpenumerò conatũ fuiſſe, dum has duas quęſtiones circunferri audirem. Verùm neque mihi ipſe perſuadere poſſum idoneum ad hæc me eſſe, ſatiſue habere, neque alium audire, vt tu præcipis diſputantem, ſed neq; ab inquiſitione támen deſiſtere. SOC. Doles, ó amice Theætete, ex eo quòd non vacuus, ſed grauidus es? THE. Ignoro, ó Socrates, ſed quid mihi acciderit dico. SO. O ridicule, non audiſti eſſe me filium obſtetricis generoſę admodum & ſeueræ Phænaretæ? THE. Audiui equidem. SOC. Num quòd & in eadem arte verſor audiſti? THE. Nequaquam. SOC. Scito ita eſſe, nec me tamen coram aliis prodas. Latuit enim hactenus omnes, quòd hac arte præditus ſim, & hi vtputa ignorantes, hoc quidem de me non prædicant, ſed quod abſurdiſſimus ſum, & homines in ambiguitatem induco. hoc audiſti? THE. Id prorſus. SOC. Vis tibi cauſam huius aſſignem? THE. Quidni velim? SOCR. Quales ſint obſtetrices cogita, ac facilè quod volo percipies. Scis enim quòd nulla ex illis quandiu concipit paritque parturientibus opitulatur, ſed cum iam ad fœtum ineptæ ſunt ipſæ. THE. Prorſus. SOC. Cauſam huius Dianam ferunt, quę cum tori exors ſit, partuum tutelam ſuſcepit: ſteriles verò obſtetrices fieri vetuit, quoniam humana natura imbecillior eſt ad artes earum rerum, quas nunquam experta eſt: his autem quæ propter ætatem concipere iam non poſſunt, id imperauit ſimilitudinem ſuam honorans. THE. Veriſimile id quidem. SOC. An non id quoque probabile, ac neceſſarium eſt, quæ prægnantes ſint, & quæ nõ, acutius ab obſtetricibus, quàm ab aliis animaduerti? THE. Omnino. SO. Quinetiam medelis, & incantationibus obſtetrices excitare, mollireúe partus vexationes valent, & ęgrè parturientibus opitulari, fœtúſque educere, & ſi intempeſtiuum fore videatur, obtundere atque retrudere. THE. Vera narras. SO. Nunquid & hoc de illis audiſti, quòd tanquam pronubæ in conficiendis coniugiis aptiſſimæ ſunt? quippe quæ optimè callent, quam cui iugare ad generoſæ prolis procreationem oporteat. THE. Haud ſatis id noui. SO. Imò ſcias in hoc gloriari non minus, quàm in vmbilici ipſius præciſione. Quid enim, alteriúſne, an eiuſdem artis eſſe putas, curare colligeréq; terræ fructus? & rurſus dignoſcere, quod in ſolum, quam plantam, quódve ſemen iacere deceat? THE. Eiuſdem. SO. In fœminis autem, ó amice, alterius facultatis hoc, alterius illud exiſtimas? THE. Haud ſanè conueniens eſt. SO. Haud certè, ſed propter iniuſtam abſurdámque maris & fœminæ coniunctionem, cui lenocinium nomen eſt, conciliandi matrimonij officium fugiunt obſtetrices caſtæ, verentúrq; ne pro laudabili ſtudio lenocinij notentur, ſiquidem legitimis obſtetricibus ſolis conuenit rectè mares fœmináſque iugare. THE. Conſtat. SOC. Itaque id eſt obſtetricum officium, opera mea quodammodo leuius. Neque enim accidit mulieribus, vt aliquando ſimulachra, aliquádo res veras pariát. Hoc verò haud facilè diſcernere eſt: quod ſi contingeret, maximum præclariſſimúmque obſtetricum munus eſſet, verum à falſo diſcernẽdi. Tu verò quid ſentis? THE. Idem profectò. SO. Arti verò meę adeſt quicquid ad illarum obſtetriciam diligentiam attinet. Verum in hoc præſtat, quod maribus nõ fœminis parturientibus ſuccurrit, & quod animarum fœtus non corporum ſpeculatur. Potiſſimùm autem arti meæ hoc ineſt, poſſe videlicet diligenter examinare, ſimulachrúmne & falſum, an natiuum ac verũ quiddam iuuenis cogitatio pariat. Quinetiam quod obſtetricibus, idẽ & mihi accidit. ſterilis ſum, & ſapientia vacuus: & quod mihi obiecerũt multi, quod interrogẽ ſingulos, reſpondeã nulli, propterea quia nihil habeam quod ſapienter reſpondere poſſim, verè nimium obiectant: huius profectò hæc eſt cauſa: parturientibus ſuccurrere Deus me cogit, generare prohibuit. Quocirca non ſum ipſe quidem vlla in re prorſus ſapiens, neq; extat aliquod meæ mentis inuentum ex me natum. Qui verò mecum verſantur, principiò quidẽ rudes apparent, ſed mea deinde cõſuetudine hi quib. Deus ipſe fauet, mirũ in modum proficiunt, vt & ſibiipſis, & aliis videntur: hoc tamen conſtat, quòd nihil vnquam à me diſcũt, imò ipſi in ſeipſis egregia multa poſſidentes, inueniunt. Obſtetricij ſanè muneris Deus & ego cauſa, quod hinc maximè cõiectare licet. Nã multi quondã hoc ignorãtes, ſéq; ipſos cauſam exiſtimãtes, me quidẽ ſpreuerũt, fortè ab aliis perſuaſi: vnde citiusquàm decebat, à me diſceſſerunt. Hi abeuntes, ob prauum congreſſum cætera aborſi ſunt: atq; inſuper quæ ego obſtetricia ope ex animæ illorũ viſceribus iam erueram, malè nutrientes, penitus perdiderũt, quippe cùm falſa atque ſimulachra veris nimium anteponerẽt. Poſtremũ & ſibi & aliis indocti ſunt viſi. Quorum è numero vnus Lyſimachi filius extitit Ariſtides, aliique permulti. Cũ verò ad me reuertuntur, cõgreſſu meo iterũ indigentes, eúmque mirificè affectantes, nonnullis ſtatim dæmonium meum cõgredi prohibet, quibuſdã cõtrà permittit, qui denuò valdè proficiũt. Nã & hoc cum parturientibus commune familiares mei patiuntur. Vexãtur enim, & difficultate diu noctúq; multo magis quàm illæ replentur. Quem quidẽ dolorẽ tã excitare, quàm ſedare artificiũ meum valet. Atque ita quidẽ iſti habẽt. Quandoque vero, ó Theætete, qui fœcundi mihi nõ vidẽtur, aduertẽs quia opera mea non indigent, eos libẽter cũ aliis in matrimonium copulo, & vt cũ Deo dicã, acutè pręſagio quib. potiſſimũ coniuncti proficiant. Quorum multos Prodico tradidi, multos etiam aliis ſapientibus diuiniſque hominibus. Hæc, ó optime, omnia hanc ob causã altius repetij. Angi enim te conceptu quodã grauidum ſuſpicabar, quod & ipſe putas. Cõmitte ergo te mihi tãquam obſtetricis filio, & obſtetriciæ facultatis longè perito, & quæ perquiro annitere pro viribus reſpondere: & ſi ex iis, quæ dixeris diſcutienti mihi, ſimulachrũ potius quàm verum apparens refutauero atque abiecero, ne ſuccenſeas oro, quemadmodum primo partu puerperæ ſolent. Multi iam, ó mirifice adoleſcẽs, aduerſus me ſic affecti ſunt, vt vel morſib. inuadere vellẽt, ſi quando deliramentum aliquod illis abigerem, non putantes id à me beneuolentia fieri, cùm eos lateret quod nullus Deus maleuolus eſt hominibus, nec ego tale aliquid maleuolentia facio. Mihi planè nefas eſſe videtur admittere falſum, ac verum refellere. Rurſus igitur à principio Theætete, quid ſcientia ſit, vt potes, exponere tenta: quod vero non poſſis, nequaquam dixeris. Si enim Deus voluerit, adiuueritque, poteris. THE. Cùm tu ita, ó Socrates, iubeas, turpe eſſet ſi quis ſuam ſententiam non proferret. Videtur mihi quod quiſpiam ſcit, id ſentire quod ſcit: & vt nunc apparet, nihil aliud ſcientia eſt, quàm ſenſus. SOCR. Quì generosè reſpõdiſti, ó puer: ſic enim loqui eum

Obſtetrices.

Diana ſteriles obſtetrices fieri vetuit.

Quare obſtetrices nolint eſſe pronubæ.

Ars obſtetricia Socratis.

Cur Socrates interroget ſemper, reſpondeat nunquam.

Secunda definitio, ſcientiam eſſe ſenſum.





qui quicquam definire velit, oportet. Sed id communiter conſideremus, vtrum fœtus hic ſolidus, an vanus exiſtat. Senſum ais ſcientiam eſſe. THE. Aio. SOC. Videris vtique definitionem ſcientiæ haud abiectam intuliſſe, ſed quam Protagoras modo tamen alio, inducit. Inquit enim rerum omnium mẽſuram hominem eſſe, exiſtentium quidem vt ſunt, non exiſtentium verò, vt non ſunt. legiſti vnquam? THE. Legi equidẽ ſæpenumero. SOC. Nónne ſic ait: qualia ſingula mihi videntur, talia mihi eſſe: qualia verò tibi, tibi quoque talia: homines autẽ vtrique ſumus. THE. Sic certè ait. SOC. Atqui probabile eſt ſapientem virum nequaquam delirare. ſequamur igitur. An non ſæpe flante vento eodem, alius noſtrûm riget, alius minimè? & hic quidem leuiter, ille vehementer? THE. Proculdubio. SOC. Vtrum dicemus tunc ventum ipſum in ſeipſo frigidum, aut non frigidum, vel Protagoræ credemus, quòd rigenti ſit frigidus, non rigenti minimè? THE. Videtur. SO. Nunquid ita vtrique apparet? THE. Ita. SO. Apparere autem ſentire eſt? THE Eſt. SO. Phãtaſia itaque & ſenſus idẽ in calidis cęteriſque huiuſmodi. Qualia nanque ſentit quiſque, talia cuique videntur eſſe. THE. Videntur. SOCR. Senſus igitur exiſtentis rei ſemper eſt, & falſus nunquam, quippe cùm ſciẽtia ſit. THE. Apparet. SO. Nónne per Gratiarum numina egregiè ſapiens Protagoras erat? & hoc nobis homunculis de plebe obſcurè ſignificauit, diſcipulis autem in arcano veritatem explicuit. THE. Quo pacto id, ó Socrates, inquis? SO. Dicam, nec contemnenda quidẽ, quòd nihil in ſeipſo vnum certum eſt, neque rectè ipſum ex ſe hoc quiddam, aut quale quid denominare poteſt. Etenim ſi magnum appellas, rurſus paruum etiam apparet: & ſi graue, leue iterum. Eadémque de cęteris ratio, quaſi nihil ſit vnum, aut aliquid, aut quale. Sed ex latione motúque & alterna cómixtione, fiunt omnia quæ eſſe dicimus, non rectè denominantes. Nihil enim eſt vnquam, ſemper autem fit. Et in hoc omnes per ordinem ſapientes excepto Parmenide conſenſerunt, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, & poetarũ in vtroq; poemate ſummi, in comœdia Epicharmus, Homerus in tragœdia. Nam cum Oceanum diceret deorũ generationẽ, & matrẽ Tethyn, omnia ex fluxu motuq; genita prædicauit. An non id proferre videtur? THE. Mihi verò. SO. Quis ergo aduerſus tantum exercitum, eiúſq; ducem Homerum pugnare audeat, quin ridiculus habeatur? THE. Arduum eſt, ó Socrates. SO. Arduũ abſque dubio Theętete, pręſertim cùm hęc huic ſermoni argumento eſſe poſſint, quòd vt eſſe, aut fieri quicquam videatur, motus facit, non eſſe autem & interire, quies. ignis enim calórq; qui alia gignit, & regit, ipſe ex latione frictionéque efficitur: hic autẽ motus eſt: an non hæc ignis origo? THE. Hæc certè. SOC. Quinetiam animalium genus ex eiſdem naſcitur. THE. Quidni? SOC. Quid corporum habitus? an non otio & torpore corrumpitur, exercitatione autem motúque plurimũ conſeruatur? THE. Ita. SOC. Animæ quoque habitus diſciplina & meditatione, quæ motiones ſunt, doctrinas conſequitur, ſeruatur, atque perficitur: Otio autem, id eſt negligentia, & pigritia, nihil penitus diſcit, & ſi quid didicerit, obliuiſcitur. THEA. Et maximè quidem. SOC. Bonum itaque tam in anima, quàm in corpore motus eſt, quies verò contrarium. THEA. Videtur. SOC. Præterea in iis quæ ſerenitates trãquillitatéſq; vocãtur, hoc aſſero, quòd quietes putrefaciunt atque perdunt, alia verò conſeruant. Et ad hæc Colophonẽ denique adigam, ipſam ſcilicet catenã auream inſuper addens, qua quidem nihil aliud præter ſolem Homerus intelligit? quia quouſque ſolis circuitus perſeuerat, omnia tam deorum, quam hominum ſunt, atque ſeruantur. ſin autem hoc quaſi ligatum ſtaret, confeſtim omnia diſſoluerentur, eueniretq; quod dicitur, Surſum deorſum omnia. THE. Mihi quoque, ó Socrates, eadem quæ dicis ſentire videtur. SO. Cogita igitur ſic, ó optime, circa oculos: primum quidem colorẽ quem dicimus album, non eſſe ipſum aliud quicquam extra tuos oculos, neq; in oculis, neque illi tu locum certum attribuas. Iam enim eſſet in ordine maneretque, nec in generatione vlterius eſſet. THE. At quomodo? SO. Sequamur ſermonem ſuperiorẽ, nihil ſecũdum ſeipſum vnum quidam ponentes, atque ita nobis niger albúſque, & quiuis alius color ex incurſu oculorũ motúque debito genitus apparet. Et vnúquoque quod coloris nomine appellamus, neque imprimens oculo, neque impreſſus erit, ſed medius quidam cuique proprius affectus, an tu aſſereres, qualis tibi vnuſquiſque color apparet, talem canibus etiam, & ſingulis animalibus apparere? THE. Non per Iouem. SO. Quid autẽ alteri homini, & tibi? num ſimiliter vnuſquiſque apparere videtur? An potius nec tibipſi idem eo quòd nunquam tibi ipſe ſimilis? THE. Hoc potius quàm illud opinor. SOC. Si igitur id quo menſuramus, vel quod attingimus magnum, vel album, vel calidum eſſet nunquam in aliud quodcũque incurrens, aliud factum eſſet ipſum quidem, vt puta nihil mutatum. ſin autem mẽſuratum quod attingimus, vel albũ, vel calidum eſſet, etiã ſi nihil accidat aliud, patiatúrue, ipſum quoque nihil patiens mutabitur. Nam in præſentia amice, mira quædam, & deridenda facilè dicere cogimur, vt ipſe quoque Protagoras, & quiſquis alius eiuſdem ſententiæ eſt, confiteretur. THE. Quo pacto? & qualia dicis? SOC. Breue exemplum accipe, intelligéſque quod volo. Talos ſex ſi quatuor apponas plures eſſe, quàm quatuor dicimus ac dimidio ſuperare, vnde ſeſquialtera proportio nominatur. Sin duodecim, pauciores, dimidiúmque. nec aliter dici poteſt. An tu aliter? THEA. Equidem nullo modo. SOCR. Quid ergo? Si te Protagoras, aut alius quiuis interrogaret, potéſtne aliquid, ó Theætete, maius aut plus aliter fieri, quàm adauctum? quid reſponderes? THE. Si quod mihi videtur, ó Socrates, ad hanc quæſtionem protulero, non poſſe aſſeuerabo. Sin autem ad ſuperiorem poſitionẽ reſpexero, ne mihi fortè repugnem, poſſe dicam. SOC. Bene atque diuinè per Iunonem, ó amice. Ergo vt videtur, ſi reſponderis ita eſſe, Euripidis illud eueniet, Vt lingua irredarguta maneat, mens autẽ redarguatur. THE. Sic certè. SO. Si igitur ego ac tu facundi ſapienteſque eſſemus, poſtquam omnes mentis angulos excuſſiſſemus, mox velut ex abundãti ſuas quiſque vires periclitantes, & in hac arena ſophiſtarum more congredientes, orationibus cõflictaremur. Nunc autem vtpote rudes, volumus hæc primùm ſecundùm ſeipſa contemplari, cuiuſmodi ſint quæ cogitamus, & vtrùm conueniat nobis inter nos, an non. THE. Maximè quidẽ id velim. SO. Nec minùs ego: ſed cum ita affecti ſimus, tranquillè prorſus, vtpote otioſi iterum ſpeculemur, nihil ſuccenſentes inuicem, ſed reuera nos ipſos excutiẽtes, qualia ſint hæc in nobis viſa, phantaſmatáque. Quibus primũ conſideratis dicemus, vt arbitror, nihil vnquam maius

Omnes ſapientes, excepto Parmenide, dixere omnia ſemper tranſmutari.

Ignis vnde.

Exercitia conferre ad corpus & animam.

Catena aurea Homeri Iliad. θ.

Phantaſmata.

minúſue fieri,vel mole,vel numero, quádiu æquale ſibiipſi permanet,nónne ita? THEA.Ita prorſus.so. Deinde cui nec additur, neque ſubtrahitur aliquid, hoc neque creſcere vnquam,neq; decreſcere, ſemper autem æquale conſiſtere. THE. Valdè quidem. soc.Tertiò verò dicemus,quod antè nó erat,&poſteà eſt,niſi fiat, & factum ſit, eſſe non poſſe. THE. Sic profectò videtur. soc. Hæc vtique tria conceſſa pugnát inter ſe nobis in animo, quando de talis illis loquimur,vel quando fatemur me ſenem,dum tantus maneo, nulla in parte auctus minutúſue in anno,te iuuene maiorem nunc eſſe, poſtea verò minorem,cum moles quidem mea ablata non ſit,ſed tua duntaxat adaucta.Sum nanque poſteà quod antè nó eram,nihil tamé factus, abſque enim fieri factú eſſe impoſſibile.nihil auté molis amittens,núquam minor effectus ſú.Et alia huius generis infinita in multis accidunt, ſi hæc admiſerimus. Dic age, ô Theætete. Videris enim mihi harum rerum non imperitus. TH. Per deos, ô Socrates, magnoperè quid iſta ſint admiror,interdúmque ipſa maximè inſpiciens tenebris offundor.so.Theodorus,ô amice,nó malè

Philoſophiæ principium.

de tuo ingenio coniectaſſe videtur. Maximè enim philoſophis hoc vſu venit, vt admirentur. Neque enim aliud præter hoc eſt philoſophiæ principium. Et qui Irim Thaumatis, id eſt, admirationis filiam eſſe tradidit, non abſurdè originem eius explicuit. Sed vtrum percipis, quam ob cauſam talia ſunt ex quibus Protagoram loqui aſſeuerauimus, an non? THE. Nondum mihi videor. so. Gratiá itaq; mihi habebis,ſi tibi viri, imò virorú celeberrimorum intelligentię veritatem abditá reſerauero? TH.Quídni habeam?& ingentem equidem. soc. Contemplare iam,&ſimul diligenter caue ne quis prophanus hęc audiat. Prophani verò ſunt, qui nihil aliud eſſe pu-

Opinio dicétiú nihil eſſe inuiſibile.

tát,quàm quod pugno tenere poſſunt.Actiones verò generationéſque,&quicquid inuiſibile eſt in eorum quæ ſunt numero nequaquam habent. THE. Duros nimium & proteruos homines,ô Socrates, memoras. soc. Sunt hi quidem, ô puer,à muſis admodum alieni.Nec deſunt alij quidam elegátiores,

Opinio dicentium vniuerſum eſſe motum, & præter motum nihil.

quorum tibi myſteria narraturus ſum.Principiú auté deinceps erit,ex quo ea quæ modo diximus manant,quòd ſcilicet vniuerſum hoc motus eſt,&aliud præter motú nihil.Motus verò ſpecies duæ,& multitudine quidé vtraque infinita:potétiam auté altera agendi,altera patiendi habet. ex harum cógreſſu cópulſúque mutuo effectus eueniunt numero infiniti, ſpecie gemini, ſenſibile videlicet ac ſenſus, qui ſemper cú ſenſibili coincidit,atque congreditur.Sénſuú hæc nomina ſunt, viſus,auditus, olfactus,guſtus, tactúſque frigidorum, & calidorú. Quos ſequuntur voluptates,dolores,cupiditates,atque timores, aliique affectus innumeri quidé ſine nomine,nominati quoque permulti.Genus auté ſenſibile ſenſui cuilibet eſt cognatú.Omnigenis viſionib.colores omnigeni:auribus itidé,voces;ceteriſque ſenſibus alia ſenſibilia cognata ſimiliter adſút. Quid igitur ſibi vult, ô Theætete, ſermo hic ad ſuperiora? aduertiſne? THE.Haud equidem multú, ô Socrates. soc. Vide igitur, num hoc pacto ad exitum perducatur. Illud enim ſibi vult: omnia hæc videlicet vt diximus agitari, horumque motibus velocitatem tarditatémue ineſſe. Quatenus igitur tarditas ineſt, in eodé, & ad proxima motú obtinet,atque ita generat.Quę verò ſic gignuntur, velociora ſunt. Feruntur enim, & in latione illorú motus eſt.Cum igitur oculus,& aliud quid ex his quæ ei competunt, appropinquarit, & albédinem, ſenſúmque cognatú generarit,quæ nunquam nata fuiſſent,dú illorú alterutrú ad aliud quidá aduétaſſet, tunc ſanè interim dú fertur viſio quidem ab oculis, albedo auté ab eo quod coloré tum ex ſe edit, oculus viſione repletur, vidétque, & factus eſt non viſio,ſed videns oculus. Quod verò coloré tum ex ſe edit, albedine repletú eſt,factúmque nó eſt albedo,ſed albú,ſiue lignú,ſeu lapis,ſiue quiduis aliud, quod fortè ſit colore huiuſmodi coloratú: eodémque pacto de aliis,vt de calido & duro, ceterisque omnibus iudicandú. nihil ex his ipſum ſecundum ſe quicquam eſſe, quod & in ſuperioribus diſputabamus, ſed in mutuo congreſſu omnia fieri & omnigena, propter mortem. Quoniam tam agens, quàm patiens vnum aliquid eſſe per ſe haud firmiter,vt aiunt, cogitare licet. Neque.n.agens quicquá eſt prius,quàm patienti cógrediatur: neque patiens prius,quá agenti.Quod.n.congreditur alicui,& vim efficiendi habet, vbi in aliud inciderit, ibi tum primú patiens apparet. Ex iis omnibus ſequitur, quod ab initio quoque diximus,nihil eſſe vnum ſecúdum ſeipſum, ſed alicui ſemper fieri, ipſum aút, eſſe, vndique excipiendum. licet nos in ſuperioribus cóſuetudine quadá atque inſcitia,illo ſcilicet ipſo,eſſe,vti ſæpius coacti fuerimus.Veruntamé,vt ſapientú ſermo dictat,nullo modo pręedicandum eſt aliquid,vel alicuius,vel mei,aut hoc,aut illud, aut aliquod aliud nomen quod exiſtentiam ſignificet:ſed ſecundú naturam enunciare oportet, quòd agátur, quòd fiant, quòd corrumpantur,quòd mutentur:nam ſi quis aliquid ſermone cóſiſtere aſſeuerauerit, facilè redargui poterit. Oportet auté & ſigillatim ſic loqui, atque de cunctis in vná collectis: in qua collatione hominé ponút,& lapidé &vnúquodque animal ac ſpeciem.Hęcne,ô Thætete,iucunda tibi eſſe videntur? eáque tanquá tibi placeant deguſtabis? TH.Ignoro, ô Socrates, & de te etiá ambigo,vtrum iſta táquam tuæ menti conſona referas,an me potius tentes. so. Non recordaris,amice, me nihil horum ſcire,nihilque talium vt meú mihi vendicare? ſum enim iſtorú ſterilis. te auté obſtetricis ritu agito atque exerceo, atque huius gratia te incanto,& quę quiſque ſapientum dixit, guſtanda præbeo, donec ſententiá tuá in lucem educá. Cùm demum educta fuerit, tunc primum examinabo,ſitne vana, ſteriliſque,an fœcúda & ſolida. Audacter igitur: & conſtanter bene atque viriliter opinionem tuam in his, quæ te rogauero iam prome. THE. Roga igitur. soc. Dic num tibi placeat, nihil eſſe, ſed fieri ſemper bonum ac pulchrum, & quæcunque paulò antè dinumerauimus. THE.Dum te audio differétem, mirum in modum probabilia,& admittenda videntur.so. Ne prætermittamus ergo quæ reſtant. Reliquum eſt enim, vt

De ſómniis & morbis contra Protagoram.

de ſomniis morbiſque cùm aliis, tú inſania maximè dicam, & de eo quod peruersè videtur, vel auditur, vel aliter quomodocunque ſentitur. Noſti.n.in his omnibus ſermoné, quem ſuprà retulimus, ſine vlla controuerſia confutari, cùm ſenſus in ipſis prorſus decipiantur. Tantúmque abeſt,vt omnia quæ apparét cuique, ea ſint,vt contrà,nihil eorum quæ appareant exiſtat. THE. Veriſſima narras,ô Socrates. soc. Quò deinceps, ô puer, ille confugiet, qui ſenſum ſcientiam affirmauit,quæue cuique apparét,eidé & talia eſſe,qualia viſa ſunt? THE. Pudet me loqui vlterius Socrates. Nihil enim habeo quod in medium afferam. Quod nanque poſuerá,deterrédo penitus ſubuertiſti. Reuera negare nunquam poſſem quòd furentes ſomniantéſque falſa nimium opinentur,cú illorú nonnulli deos eſſe ſe putent, alij auium inſtar volare ſe credant. so.Nunquid igitur nó & hanc de iſtis controuerſiam cogitas,de ſomnio præſertim &

Ambiguitas circa ſomnia & res veras.

re? THE.Quámnam? so.Eam quam ſæpe te audiſſe exiſtimo, quoties quæritur qua potiſſimum coniectura oſtendi poſſit,vtrum dormiamus omnes nunc &quę cogitamus ſingula ſomniemus,an vigilemus, & reuera inuicem diſſeramus. THE. Profectò dubium eſt, ô Socrates, qua id coniectura quis diſcernere valeat. Adeò quidque ad vnumquodque velut reciprocum conſequitur. Nam quæ modò diſſerebamus, nihil prohibet, vt ſomniantes colloqui videamur. Et quando in ſomno ſomnia referre nos arbitramur,mirum in modum hæc illis ſimilia ſunt. so. Vides iam quàm facile in controuerſiam veniatur: quandoquidé vtrum inſomnia,an veræ res ſint quæ vidétur,etiam ambigi poteſt.præterea cum æquum tempus ſit quod ſomno datur,& quod vigiliæ,in vtroque contendit noſter animus præſentes opiniones,vt veras aſſerere. Quamobrem pari tempore & hæc vera dicemus,pari & illa,& in vtriſque obtinebimus. THE.Omnino. so.Eadem quoque de morbis furoribúſque ratio eſt, niſi quòd tempus impar. THE.Rectè admodum. soc.Nunquid longitudine breuitatéue temporis verum determinatur? THE. At iſtud plurimum ridiculum eſſet. so. An alio argumento oſtendere potes quæ ex iſtis opinionibus verę ſunt? THE.Non,vt mihi videor. so.A me igitur audi, quæ forſitan reſponderent hi, qui apparentia ſemper ei cui apparent vera eſſe volunt.Sic enim te, vt opinor, interrogarét.O Theętete,nunquid quod alterum omnino eſt,eandem aliquando potentiam cum altero habebit? nec idem partim, partim alterum,ſed penitus alterum intelligamus. THE.Impoſſibile eſt igitur, hoc huius idem quicquam, vel potentia, vel quocúque modo habere, quando omnino alterum eſt. so.Nónne diſſimile quoque neceſſariò eſſe fateamur? THE.Mihi quidem videtur. so. Si quid ergo alicui ſimile,vel diſſimile fit,aut ſibiipſi aut alteri,quatenus ſimile fit, idem:quatenus diſſimile, alterum effici confitebimur. THE. Neceſſariò ſequitur. soc.An non ſuprà conceſſimus multa,atque innumera agentia eſſe, ſimiliter & patientia? THE. Conceſſimus. so. Quin & quod aliud eſt ab alio,cum alio & alio mixtum non eadem, ſed altera generabit. THE.Sic prorſus. so.Dicamus vtique me ac te,&alia ſecundum eandem rationem,Socratem ſcilicet bene valentem, & Socratem ægrotantem, vtrum ſimile hoc illi, an diſſimile eſſe dicemus? TH. Nunquid ægrotantem Socratem totum hoc inquis illi toti,Socrati ſcilicet bene valenti? soc.Rectè nimium accepiſti,hoc ipſum dicebam. THE.Diſſimile planè, & alterum. so.Nunquid ſic vt diſſimile? THE. Neceſſe eſt. soc. Dormientem quoque,& vigilantem,& quæcunque ſuprà narrauimus,ſimiliter aſſeres? THE.Equidem. soc.Quodlibet eorum quæ natura efficere aliud quid poſſunt,quando accipiet ſanum Socratem, vt altero me vtetur. quando debilem, vt altero? THE. Quídni? soc.Et altera in vtroque gignemus,ego quidem patiens, illud autem efficiens? THE.Nil prohibet. soc.Quoties vinum ſanus bibo, ſuaue ac dulce mihi videtur. THE. Certè. soc. Ex his porrò quæ conceſſa ſunt, agens & patiens,dulcedinem ſenſúmque progenuerunt, & vtraque mota: & ſenſus quidem à patiente exiſtens, ſentire linguam efficit: dulcedo autem à vino circa illud mota,dulce vinum ſanæ linguæ tam eſſe,quàm apparere fecit. THE. Sic prorſus ſuperiora conceſſa ſunt. soc. Cùm verò me ægrotantem accipit,principio quidé non eundé reuera apprehendi: diſſimili nanque aduenit. THE. Ita eſt. so.Deinde alia quædam Socrates ſic affectus,& vini potio gignunt:circa linguam,ſoporis amari ſenſum: circa vinú,factam & motam amaritudinem:& hoc quidem non amaritudinem,ſed amarum,me verò nó ſenſum,ſed potius ſentientem. THE.Omnino. so.Et ego nihil vnquam aliud fiam ſic ſentiens. alterius enim alter eſt ſenſus,& alienum aliúdque ſentiétem efficit:neque illud me talem efficiens, aliquando congrediens alteri, idem generans, tale quicquam exiſtet. Ab alio enim aliud generans,alienum alterúmque fiet. TH. Vera hæc ſunt. so. Nec ego mihiipſi talis,nec illud ſibiipſi tale efficietur. THE.Non certè. so.Neceſſarium autem alicuius me fieri, quando ſentiens fio. ſentiens enim nihil ſentire impoſſibile eſt. & illud quoque neceſſe,alicui fieri quoties dulce aut amarú aut aliquid huiuſmodi redditur. dulce namque nulli dulce eſſe non poteſt. THE. Sic eſt omnino. so.Relinquitur igitur, vt opinor, ſiue ſimus, nos inuicem eſſe: ſiue fiamus,inuicem fieri:quandoquidem noſtram eſſentiam neceſſitas ipſa connectit. Cónectit autem aliorum nulli, nec nobis ipſis: inuicem ergo vinciri ſequitur. Quapropter ſiue quis eſſe aliquid dixerit,ſiue fieri,ita accipiédum eſt,alicui eſſe fieríue, vel alicuius,vel ad aliquid, ipſum aút in ſeipſo quicquam eſſe vel fieri, neque ipſe quiſquá profiteri debet,nec alteri aſſeueranti concedere,quemadmodú ratio ſuperior admonet. TH.Sic eſt prorſus,ô Socrates. SOCR.Nónne quandoquidem me efficiens mihi eſt non alij, ego quoque ipſum ſentio, non alius? THE.Quidni? so. Verus itaque mihi ſenſus meus: meę nanque eſſentię ſemper exiſtit,& ego ſecundú Protagorá,iudex tam eorum quę ſunt,vt mihi ſunt, quàm eorum quę non ſunt,vt non ſunt. THE.Ita videtur. so.Quid iam obſtat,quo minus ſciés exiſtam, quemadmodum & ſentiens? quippe cum nec decipiar,nec aberrem cogitatione circa ea,quæ vel ſunt, vel fiunt? THE.Nihil prorſus. so.Egregiè igitur ipſe dicebas,ſcientiam nihil aliud eſſe,quàm ſenſum. In idem ſanè hæc concurrunt, ſecundum Homerum quidem & Heraclitum, & omne id genus, vniuerſa decurrere, fluminis inſtar:ſecúdum vero Protagorá ſapientiſſimum, hominem rerú omnium eſſe menſuram:& poſtremò ſecundum Theætetum,cóceſſis ſuperiorib ſcientiam eſſe ſenſum.nunquid,ô Theętete, opinioné hác dicemus eſſe quaſi tuam prolem nuper abs te quidem genitam,à me autem in lucem obſtetricia quadá opera iam eductá? Quid ais? THE.

Vide Sui. in dict. ἀμφιδρόμια.

Ita neceſſe eſt,ô Socrates. so.Hanc vt videtur,qualiſcunque ſit,vix tandem genuimus,poſt partum verò,vt mos eſt, quinta die ab eius natali ſolennia celebrantes circulum diſputationú diſcurramus,videáſque ne nos fallat, ſi fortè educatione digna non ſit, ſed inanis & falſa:aut num cenſes tu natú tuum omnino alendum,nec vllo modo abiiciendum? An fortè ſi reprobatú videris primogenitú tuú,non moleſtè feres è medio tolli? TH.Theætetus,ô Socrates,ęquo animo feret. neque enim moroſus eſt. verùm dic per deos,an non ita ſe res habet? so.Diſputationis valde auidus es,atq; vir bonus, ô Theodore, qui me putes arcam quádam eſſe ſermonum,vnde mox promam monſtrémque hæc non ita ſeſe habere,

Quid ſe ſcire Socrates profiteatur.

non aduertis quid ſit, quòd nullus ſcilicet vnquam ſermo à me manat, ſed ab eo ſemper qui mecum diſputat. Equidé ſcio nihil præter exiguum quiddam, hoc eſt cum ſapiente aliquo rationem inire, & eam pro virili percipere. Et nunc quidem id ex hoc conabor, non ex meipſo dicere. THE. Rectius ipſe, ô Socrates, loqueris. Quare ſic efficias, oro. SOCR. Scis, ô Theodore, quod ex dictis amici tui Protagoræ in primis admiror? THE. Quidnam? SO. Cætera quidé ſatis mihi placuerunt, dum probat quod cuique videatur id illi exiſtere: principium verò miratus ſum orationis, cur de veritate ſcribere aggreſſus nó ſuem dicat, vel Cynocephalum rerum omnium menſuram eſſe, vel aliud quicquam mirabile ex his quæ ſentiunt. quò magnificè ſatis & prorſus cótemptim exorſus eſſet, oſtendens, quòd nos eum tanquam numen propter ſapientiam miremur, cùm nihilo plus ſapiat, quam rana Gyrina, nedum quàm hominú quiſquam. aliter ne dicemus Theodore? Si enim cuique verum eſt quod quiſque per ſenſum opinatur, neq; alterius affectum alter melius iudicat, neq; opinionem alterius diſcernere alius alio magis poteſt, veráne ſit an falſa, ſed vt ſæpe iam repetiuimus, quiſque ſua ſolùm opinatur, & ea quidem recta omnia atq; vera, cur, ô amice, Protagoras ipſe adeò ſapiens extitit, vt aliorum præceptor mercede etiam ampla exhibita, dignus admodum ſit habitus, nos autem rudiores, eiúſque diſcipuli iudicandi? cùm tamen quiſque ſapientię proprię menſura ſit. aut quomodo non dicamus in his Protagoram non nugari? Studium quoq; meum obſtetriciæ facultatis vt tranſeam, quantum riſum exhibebimus? Imò, vt opinor, & omne diſſerendi officium. Nam conatus iſti diſcutiendi refellendique viciſſim phantaſias & opiniones, cùm rectæ ſint cuiuſq; omnes, nihil erunt aliud, quàm màgna & longa deliramenta, ſi vera Protagorę veritas illa, quam vocat, eſt: atqui non iocatur illa, ſed velut ex adyto libri eſt locuta? THE. O Socrates, amicus cùm ſim, quemadmodum ipſe modò dicebas, nunquam paterer concedente me Protagoram confutari, neque tibi rurſus præter meam ſententiam repugnare vellem. Age igitur omnia iterum cum Theęteto. Etenim aptè nimium, diligentérque obſecutus tibi fuiſſe hactenus viſus eſt. SOC. Si Lacedęmonem profectus Theodore ad palęſtras, alios quoſdam inertes nudato corpore exerceri videres, an non operæpretium duceres ſpeciem tuam nudis membris palam, cum illis conferre? THE. Quid verò? ſi me permitterent quemadmodum vos in præſentia permiſſuros ſpero, vt ego quidem ſolum ſpectem, neque in gymnaſium rapiar, vir dura iam cute, illi autem libentius cum iuniori molliorique luctentur? SO. Atqui ſi tibi id, ô Theodore, iucundum eſt, neque mihi etiam eſt moleſtum, vt trito prouerbio fertur. Aggrediamur itaque rurſus ſapientem Theætetum. Dic obſecro Theætete, primum quæ modò percurrimus, nónne tu quoque miraberis, ſi ſubitò nihilominus appareas ſapiens, quàm quilibet hominum, vel deorum? aut nunquid Protagoream illam menſuram, ad deos minus, quàm ad homines pertinere putas? THE. Non per Iouem, adeóque quod rogas magnoperè miror: dum enim ſuprà exponebamus, qua ratione quod cuique videtur, id cuique verum eſt, ſcitè admodum dici videbatur: nunc autem contraria confeſtim opinio ſubit. SOC. Iuuenis adhuc es, ô amice puer, & idcirco concione facilè perſuaderis. Ad hæc enim Protagoras, & quiuis alius eius ſectator dicet. O generoſi pueri, atq; viri concioni animum adhibere confidentes, deóſque in medium inducite, de quibus ego vtrum ſint, an non ſint, néque loquendum, neq; ſcribendum cenſeo: & quæ multi audientes admitterent, hæc dicite (quod graue eſſet, niſi quilibet vir cuilibet bruto ſapientia longè præſtaret) Demonſtrationem vero neceſſitatémq; ne vllam afferatis, ſed veriſimili tantum ratione vtimini. Qua ſi vellet Theodorus, aut quiuis alius geometra in diſputationibus geometricis vti, nullius pretij prorſus æſtimaretur. Conſiderate igitur tu ſimul atque Theodorus vtrum ſermones tantis de rebus ratione probabili tantum confirmatos recipere velitis. THE. Iniuſtè & tu, ô Socrates, & nos reciperemus. SOC. Sed iam alia res, quemadmodum inter te & Theodorum conueniebat conſideranda. THE. Alia certè. SO. Sic vtique cogitemus, ſit ne idem ſcientia & ſenſus, an aliud. Ad hoc enim omnis ſuperior ſermo vergebat, & huius gratia permulta, atque miranda tetigimus, nónne? THE. Sic eſt omnino. SO. Conſitebimur quæcunque videndo, vel audiendo ſentimus, eadem omnia ſimul etiam ſcire: vt puta barbarorum vocem antequam didicerimus, dicemus nó audire quando loquuntur? an audire ſciréque ſimul? & literarum prorſus ignari cum illarum contextum aſpicimus, num videre nos eas negabimus? an & ſcire ſi modo viderimus, aſſeremus? TH. Idipſum, ô Socrates, quod in his cernimus & audimus, ſcire affirmabimus: horum quidé figuram colorémq; inſpicere & ſcire ſimiliter, illorum autem acutá vocem & grauem audire pariter atque ſcire. Quæ vero grammatici & interpretes de his tradunt, neq; ſentire videndo & audiendo, neq; etiam ſcire. SO. Optimè, ô Theętete, neque in his repugnandum tibi, vt magis inde proficias. verú aſpice & aliud quod ad hæc accedit, & conſidera qua ratione repelli vitariq; poſſit. TH. Quid iſthuc? SO. Hoc ſanè: ſi quis percontetur, fierne poſſit, vt quod quis quandoque ſciuit, & adhuc memoria tenet fixúmque cóſeruat, idipſum tamen neſciat. In longum profectò ſermonem traho, quærere cupiens vtrum aliquis quod didicit, memoria retinens, haud noſcat. TH. Qui hoc fieri poſſet, ô Socrates? Monſtrum quod dicis eſſet. SO. Num igitur deliro? aduerte obſecro. Videre, nónne ſentire dicis, viſionémque ſenſum? TH. Aio. SO. Qui aliquid videt, nónne idé ſcit quod & videt, vt pręſens ſermo proponit? TH. Certè. SO. Memoriam aliquid vocas? TH. Voco equidem. SO. Alicuiúſne an nullius? TH. Alicuius certè. SOC. An non earum rerum quas didicit ſenſitque. THE. Harum profectò. SOC. Quod quis vidit, quandoque meminit? THE. Meminit. SO. Nunquid etiam cum claudit oculos? an cùm hoc facit, protinus obliuiſcitur? THE. Abſurdum hoc dictu, ô Socrates, eſſet. SOC. Cogitur tamen id fateri quiſquis ſermonem ſuperiorem ſeruare velit, aliter autem, periit. THEA. Ego quoque per Iouem ſuſpicor, neque dum ſatis intelligo. Dic oro, quo pacto? SOC. Hoc ſanè, qui videt, idem ſcit quod & videt, vt confeſſi ſumus: nam viſionem, ſenſum, ſcientiámque idem eſſe conuenimus. THE. Conuenimus. SOC. Qui verò videt, atque ideo ſcit, meminit quod vidit, vel clauſis oculis, neque tamen aliquid videt. THE. Sic accidit. SO. Non videre autem, neſcire eſt, ſiquidem videre ſcire erat. TH. Verum. SOC. Contingit itaque quod quis quandoque ſciuit, etiam dum meminit, id neſcire, ſi non videt. Quod

quid

Prouerbium Si tibi iucundum, mihi non moleſtum.



quidem ſi fieret, monſtrum quoddam fore prędiximus. THE. Vera loqueris. SOCR. Nonnihil igitur impoſſibile videtur accidere, ſi quis ſcientiam ac ſenſum idem eſſe poſuerit. THE. Sic apparet. SOC. Aliud ergo vtrunque fatendum. THE. Videtur. SOC. Quamobrem quid ſcientia ſit à principio iterum perquirendum. cęterùm quidnam agimus, ô Theętete? THE. Qua de re percontaris? SOCR. Videmur vtiq; mihi ignaui galli inſtar, antequàm vicerimus, ad cantandum ſtatim proſilientes à diſputatione. THE. Qui iſthuc? SO. Contradictoriè videmur aduerſus nominum conceſſiones confeſſi, & circa tale quiddam verſari verba rimari, in ipſiſque cóſiſtere: cúmque nó rabulas, ſed philoſophos nos eſſe profiteamur, nihil aliud tamen, quàm acres illi viri clàm facimus interim. THE. Nondum quid velis intelligo. SO. Equidem quod in his ſentio, explanare conabor. quæſiuimus núquid qui aliquid didicit ac meminit, neſciat: oſtendentéſque eum qui vidit, clauſis etiam oculis recordari, nec videre tamen, neſcium ſimul & memorem demóſtrauimus, quod nimium impoſſibile. Atque ita Protagorea fabula prorſus euanuit, ac tua ſimul, quę ſenſum ſcientiámque idem eſſe canebat. THE. Conſtat. SO. Nequaquam ita, vt arbitror, ô amice, ſi pater alterius fabulæ ſupereſſet, ſed vehementiſſimè propugnaret. Nunc autem orphanam ipſam inſequimur expoliamúſque: neque tutores quos reliquit Protagoras, è quorum numero vnus eſt Theodorus hic, ſuccurrere volunt. Verùm nos iuſtitiæ gratia illi ſuffragari aggrediemur. THE. Nos ego quidem, ô Socrates, imò Callias Hipponici filius rerum Protagoræ tutor. Nos profectò à nudis ſermonibus ad geometriam repentè deflexim us. Gratiam tibi tamen habebimus, ſi illi opé tuleris. SO. Scitè loqueris, ô Theodore. Aduerte igitur qua via ſuccurram. ſi quis minus vim verborum animaduerterit, qua plerunque affirmare quicquam, & negare ſolemus, abſurdiora etiam ſuperiorib. confiteri cogetur. Dicá tibi quemadmodum, an Theæteto? THE. Vtriſque cómuniter. Reſpondeat autem iunior. Nam ſi labatur, minus peccabit. SOC. Difficillimam autem quæſtionem dico, ea verò eſt huiuſmodi: num fieri poteſt, vt qui aliquid nouit, quod noſcit ignoret? THE. Quid reſpondebimus Theætete? TH. Impoſſibile ego quidem puto. SO. Non vtique, ſi videre, ſcire eſſe poſueris. quid enim reſpondeas inexplicabili quęſtioni, puteo, quod dicitur, incluſus, ſi quis te vir intrepidus interrogauerit manu alterum tibi tegens oculum, vtrum tecto oculo veſtem videas? THE. Non hoc dicam, ſed altero. SOC. An non idem ſimul & vides, & non vides? THE. Ita quodammodo. SO. Haud equidem, dicet ille, iubeo, vel quæſiui quo pacto, ſed vtrum quod ſcis, idem & neſcias. In præſentia verò quod non vides, videre videris: & ſuprà confeſſus es, videre quidem ſcire eſſe, non videre autem neſcire. Collige quid ex his aduerſus te concludatur. THE. Contraria planè eorum quæ propoſuerá. SO. Plura forſitan, ô mirifice puer, tibi talia contigiſſent, ſi quis à te quæſiſſet, vtrum ſcire liceat & acutè, & obtuſè, & cominus quandoque ſcire, eminus vero nequaquam, & vehementer idem atque remiſsè, cæteráque permulta. Quæ quidem inſidiando vir clypeatus, & ad dicendum mercede conductus quærens, quando idem ſcientiam ſenſúmque ponebas, te in auditum, olfactum, ac cæteros ſenſus ordine inieciſſet, ſtudioſéque & ſedulò nimium redarguiſſet, atque te compræhendens, non prius te dimiſiſſet, quàm tu eius exquiſitam ſapientiam admiratus ab eo vinctus eſſes: vbi captus atque ligatus tanta te ipſe pecunia redemiſſes, quanta tu & ille ſtatuiſſetis. Quam igitur rationé, inquies forſan, pro tutandis opinionib. ſuis Protagoras aſſignabit? Nunquid aliud tentandum eſt? TH. Et maximè quidem. SO. Et hæc vtique omnia quæ & nos opem illi ferentes dicimus, & contrà, vt arbitror, progredietur, deſpiciens nos penitus, atque ita obiectans: Bonus iſte Socrates cùm puer ab ipſo interrogatus, extimuit, vtrú quis poſſit quod meminit, idem ſimul & ignorare, & ille perterritus negauiſſet, ex eo quòd rem ipſam proſpicere non potuerat, ridiculum me in diſputatione móſtrauit. res autem, ô ignauiſſime Socrates, ita ſe habét. Quoties ex meis aliquid quærendo conſideras, ſi interrogatus reſpondeat eadem quæ ego etiam reſponderem, refellatúrq;, me quoque redargutum exiſtimato. Sin alia, ipſum ſolummodo qui reſpódit. Principiò, putáſne aliquem conceſſurum tibi memoriam adeſſe cuipiam, quando nó amplius patitur, earum rerum quas paſſus fuerit, & ipſam talem paſſionem eſſe qualis fuerat dum pateretur? permultum abeſt. An formidaturum cenſes admittere quòd poſſit aliquis idem noſſe ſimul & ignorare? Quod ſi forſitan minus audeat, daturum ſperas eundem eſſe diſſimilem factum alicui priuſquá fiat diſſimilis exiſtenti? magis aút hunc eſſe aliquem, ſed non hos, & eos quidem infinitos effectos, ſi quidem diſſimilitudo fiat, ſi modo aucupia verborum vitare inuicem oportuerit? Cæterùm, ô beate, generoſius ea quæ dico, aggredere, méque ſi potes refelle, quòd non proprij cuique noſtrú ſenſus fiant: vel etiam ſi proprij ſint, nihilo magis quod apparet, illi ſoli fiat: vel ſi eſſe oporteat, nominare liceat, cui apparet. Sues autem & cynocephalos dum narras, non ipſe ſolum beſtiam imitaris, ſed eos, qui audiút, vt idem quoque in mea ſcripta ſibi permittant, perſuades. Neque rectè facis. equidem veritatem habere ſe aſſero, quemadmodum ſcripſi. Menſuram enim vnumquenque noſtrûm eorum quæ ſunt, & quæ non ſunt, eſſe: ſed magnoperè hoc ipſo aliud ab alio diſcrepare, quòd & huic alia ſunt, apparéntque, & illi alia. Sapientiam vero, & ſapientem virum nullo modo exiſtere nego. Imo hunc ipſum ſapientem voco, qui illius conditionem cui mala videntur, ſúntque, permutans, bona apparere & eſſe ſibi facit. Sermonem autem meum, ne verbis duntaxat perſequere, verùm ſic planius iterum quod dico, perdiſce, & in memoriam dictum ſuperius reuoca, quod ægrotanti amara videntur quę guſtat, & ſunt: bene valenti contraria ſunt, atque videntur. Sapientiorem vtique horum neutrum ex hoc oportet aſſerere, neque enim id fieri poteſt, neque aſſerédum ęgrotantem inſipientem eſſe, quia hęc putet, ſanum contrà ſapientem, quia diuerſa. Permutandum verò in alterum habitum. Alter enim habitus melior. Similiter in diſciplina ab altero habitu in meliorem permútandum. Sed medicus quidem medelis tranſmutat, ſophiſta ſermonibus. Nemo enim efficit, vt qui falſo opinatur: verè deinde exiſtimet: quippe cùm ea, quæ non ſunt, opinari nemo valeat, nec alia præter illa quę patitur. hæc autem ſemper vera ſunt. facere tamen quis poteſt, vt qui deprauati animi habitu cognata ſibi opinatur, ſana deinde mente diuerſa quędá exiſtimet, quæ plerique ob imperitiam phantaſmata vera nominant. Ego autem meliora aliis alia dico, veriora nequaquam. Sapientes præ-

Prouerbium

Pro Protagora.

 terea,

terea, ô amice Socrates, nullo pacto ranas nuncupo imò ſecundum corpora, medicos: ſecundum plátas, agricolas. Aio equidem hos viros plátis ſuis pro deprauatis ſenſibus quoties tale aliquid ęgrotat, bonos integróſque, & veros ſenſus inferre: ſapientes quoque & bonos rhetores ciuitatib. bona pro malis videri iuſta efficere: quoniam quęcunque ciuitati cuilibet iuſta honeſtáque videntur, hæc ſunt & illi talia quandiu ſic putat: ſed ſapiens pro malis his ſingulis, bona & iudicari & eſſe efficit. Eadem ratione ſophiſta eos qui erudiuntur, ſic erudire potens, ſapiens eſt dignúſque ampla mercede apud auditores habetur. Atque ita alij ſapientiores aliis ſunt, neque vllus tamen falſa putat: & tibi hoc ipſum, velis, nolis, cum rerum menſura ſis, admittendum. hic enim ſermo in his ſeruatur. Cui ſi quo modo à principio iterum repugnare potes, repugna oratione cógreſſus. Quod ſi interrogando vis, interrogando perage. Neque enim hoc fugiendum, ſed omnium maximè his qui ſanæ mentis ſunt, perſequendum. Sic tamen id effice, ne interrogando ſis iniurius. Abſurdum eſt profectò eum virum, qui virtutem meditari ſe pręcipuè profitetur, in ſermonib. ſemper iniurium eſſe. Aſſicere autem iniuria in his eſt, quum quis non ſeorſim quidem certando exercetur, ſeorſim verò diſſerendo: & in illo quidem ſcilicet certamine iocatur, fallitque pro virib. in hoc aũt, diſputatione videlicet, ſeriò agit & corrigit diſputantem, eos illi duntaxat errores indicans, quib. ipſe & ex ipſo, & ex præteritis diſputationib. abductus eſt. Si ita feceris, ſeipſos qui tecum verſabuntur, non te, perturbationis, defectúſque ſui cauſa eſſe confitebuntur, téque protinus ſectabuntur & diligent: ſeipſos cótrà odio habebũt, & à ſeipſis ad philoſophiam confugient, vt alij quodammodo effecti, habitum priſtinum deponant, ſin aũt contraria feceris, quemadmodum alij quoque permulti, contraria etiam tibi contingent, & familiares pro philoſophis, ſtudij huius inimicos, cùm adoleuerint, reddes. Si igitur mihi parueris, quod & ſuprà dictum eſt, haud hoſtiliter contentioſéque, ſed placido mitique animo aſſentiens, conſiderabis quomodo moueri dicamus omnia, & quomodo quod cuique videtur, hoc & priuatim, & publicè ſit, & ex his inquires vtrum idem an aliud ſcientia ſit, & ſenſus: neque, vt modò cœpiſti, ex verborum nominúmque conſuetudine diſſeres, quæ multi quocunque libet, trahentes, varios dubitationum iniiciunt ſcrupulos. Hæc, ô Theodore, in defenſionem amici tui tentaui pro viribus, parua quidem à paruis. Si enim ipſe viueret, fortius magnificentiúſque pro ſeipſo pugnaret. THEO. Iocaris, ô Socrates: nam fortiter pro illo certaſti. SOC. Rectè loqueris, ô amice. Sed mihi dicas, Aduertiſtíne quòd iam pridem Protagoras nos increpet, quòd cum puero diſputantes metu puerili aduerſus eius ſcripta depugnemus? cúmque ipſe genus hoc vrbanitatis reiiceret, mediocritatem verò in omnibus mirè tolleret, ſeriò in eius dictis verſari nos iuſſit? THEO. Quidni, ô Socrates, animaduerterim? SOC. Quid ergo? iubes nos illi parêre? THEO. Summoperè. SOCR. Cernis hos omnes, excepto te, pueros eſſe? Quare ſi illi credimus, me ſimul ac te oportet interrogando viciſſim, & reſpondendo ſeriò ſermonem eius examinare, ne iterum nos incuſet, quòd ludentes cum pueris ſermonem ſuum exagitemus. THE. Quid prohibet quin Theætetus melius, quàm multi barbati viri ſcrutantem te aſſequatur? SOCR. Non tamen te, ô Theodore, melius. Ne igitur cénſeas oportere me amico tuo defuncto omnẽ opem afferre, te verò nullam: verum agesis vir optime, ſequere me pauliſper, quoad hoc dũtaxat inueniamus, vtrùm te deceat in figuris geometricis eſſe menſuram, aut omnes ęquè ac tu in aſtronomia cæteriſq; facultatib. in quibus tu meritò pręſtare videris, ſibi ſufficiant. THE. Difficile eſt, ô Socrates, vt qui tibi aſſidet, rogáti non reſpondeat. Delirabam profectò paulò antè, cùm dicerem te conceſſurum mihi, ne ad pugnam accingerer, & Lacedæmoniorum more ne compellerer. Nunc ad Scirrhonem potius declinare videris. Nam Lacedęmonij exui, vel abire iubent. Tu aũt Antęum imitari videris. Congredientem nanque non prius dimittis, quàm nudatum tecum certare coegeris. SO. Cógruam, ô Theod. morbi mei ſimilitudinem reperiſti. Robuſtior tamen illis ego ſum. Innumeri.n.iam Hercules & Theſei fortes in dicendo viri mecum congreſſi, defatigati ſunt, ego tamen nihilo magis deſiſto, adeò me exercitationis huius vehemens amor inuaſit. Neq; tu igitur mihi inuideas, quò minus mecum exercitatus, te ſimul ac me iuues. TH. Haud vltrà repugno, ducas quà lubet. Prorſus hanc quaſi fatalem neceſſitatem quam tu conſtituis, conuicto ferenda eſt. Neq; tamẽ vltrà ea, quæ propoſuiſti, me tibi exhibere poſſum. SO. Sat iſtud erit, ſed id mihi diligenter obſerua, ne clàm in puerilem loquendi ritum labamur, & ob eam cauſam, nos aliquis iterum carpat. THEO. Conabor ſanè pro viribus. SOC. Hoc igitur in primis, quod ſuprà tetigimus, reſumamus, ac videamus, vtrùm rectè, nécne ſermonem illius improbauerimus, quo ille vnumquenque ad ſapientiam ſibimet ſufficere dicit. Nobis porrò conceſſit Protagoras, in eo quod melius, vel deterius inter ſe pleroſque differre, & eos ſapientes eſſe. an non? TH. Cóceſſit. SO. Si.n.ipſe ſua hæc præſens confeſſus eſſet, non autem nos in eius fauorem conceſſiſſemus, nihil opus eſſet repetendo eadem cófirmare. Nunc autem cùm videri fortaſſe poſſit, non ſatis idoneos dogmatum illius aſſertores nos eſſe præſtat perſpicuè, vt ſe res habet concedere. Nam non parùm intereſt, ſic an aliter habeat. THEO. Vera loqueris. SO. Igitur non ex alienis, ſed ex ipſius duntaxat ſermone, quàm breuiſſimè conſenſum accipiamus. THE. Qui? SO. Sic. Quod cuique videtur, id illi cui videtur eſſe dixit. THE. Dixit certè. SO. Nunquid igitur & nos, ô Protag. hominis, imò hominum omnium opiniones dicimus, aſſerimúſque neminem prorſus partim quidem ſe, quàm alios ſapientiorem putare, partim verò alios ſapientiores, quàm ſe. An non.n. in maximis periculis, quoties in caſtris, aut morbis, aut mari fluctuant, quaſi deos habent eos, qui ſingulis in rebus præſtant, ſeruatoréſque ſuos putant, nulla alia re cæteris, quàm ſcientia præcellentes? & per omnia humana quærentibus præceptores ac duces ſuiipſorum aliorúmq; animantium atque operum, qui communiter æſtimantur tá ad docendnm, quàm ad imperandũ ſufficere? In his omnib. quid aliud dicemus, quàm quod homines apud ſe ſapientiam & igorantiam eſſe putent? TH. Nihil aliud. SO. Nónne ſapientiam verá cogitationem eſſe ducunt, ignorantiam vero falſam opinionẽ? THEO. Quídni? SO. Quorſum, ô Protagoras, ſermonem vertemus? Vtrum homines vera ſemper opinari dicemus? An aliquando vera, falſa nonnunquam? Vtrinque enim ſequitur, vt non ſemper vera, ſed vtraq; opinentur. Attende enim Theodore, velitne Protagoras aut tu

forſan



forſan ipſe cótendere, quòd nemo quiſquam ſit, qui quenquam vel imperitum eſſe, vel falſa opinari putet. THEO. Incredibile hoc, ô Socrates. SO. Atqui in hanc neceſſitatem ſermo ille delabitur, qui menſuram omnium hominem pędicat. THE. Quo pacto? SOCR. Cùm tu aliquid apud te ſtatuis, deinde mihi opinionem tuam declaras, tibi quidem ſecũdum illius ſermonẽ, verum eſto, nos autem nónne ſententiæ tuæ iudices fieri poſſumus, an opinari ſemper te vera iudicamus? Quin potius innumeri homines te cum quotidie pugnant, contrà quàm tu opinantes putantéſque te perperá iudicare atque opinari. TH. Per Iouem, ô Socrates, quàm plurimi ſunt, vt inquit Homerus, qui mihi ex hominibus negotia faceſſant. SOC. Quid ergo? Vis dicamus, tunc te quidem tibiipſi vera opinari? permultis aliis autem falſa? THEO. Ex his quæ dicta ſunt, neceſſariò ſequi videtur. SOC. Quid ipſi Protagoræ? An non neceſſarium? Si enim nec ipſe putaſſet hominem eſſe menſuram, neque etiam multi iſti, vt neque putant, nulli hanc veritatem eſſe oporteret, quam ipſe ſcripſit. Sin autem ipſe quidem cenſuit, multitudo autẽ non conſentit, ſcito in primis quò plures ſunt hi quibus non videtur, quàm quib. videtur, eò magis non eſſe, quàm eſſe. THEO. Neceſſe eſt, ſiquidẽ ſecundũ opiniones ſingulas, & erit, & non erit. SO. Deinde hoc habet ſe pulcherrimè. Ille.n.circa ſuam opinionem diſſentientium ſententiam, qua illum mentiri credunt, quodammodo veram eſſe conſentit, dum vera opinari cunctos fatetur. THEO. Abſque dubio. SOC. An non ſuam eſſe falſam admittit, ſi iudicium illorum, qui falſa illum opinari volunt, verum eſſe fatetur? THEO. Neceſſarium. SOC. Alij autem ſibiipſis mentiri nequaquam concedunt. THEO. Non certè. SO. Hic verò & hanc veram opinionem ex his, quæ ſcripſit, fatetur. THEO. Patet. SOC. Ex omnibus igitur, quæ Protagoras edidit, ambigetur, imò ab illo ipſo maximè concedetur. nam ſi eum, qui cótradicit, vera opinari concedat, tunc ſanè & ipſe Protagoras cófitebitur, neq; canẽ, neq; quemuis hominẽ eſſe menſuram, aut omnium, aut vnius etiam quodcunque non didicerit. An non ita? THEO. Ita certè. SO. Cum ergo ab omnib. dubitetur, nulli Protagorę veritas vera erit, nec aliis neque etiam ſibiipſi. TH. Nimis in amicum meum, ô Socrates, inuehimur. SO. At verò, ô amice, obſcurum eſt an etiam rectum pręteruehamur. Veriſimile eſt.n. cum ſenior fuerit ſapientiorem nobis quoque fuiſſe. Qui ſi repentè humeris tenus hic emicans nos inuaderet, in multis tá me delirantẽ, vt probabile eſt, quàm te conſentientem refelleret, deinde protinus euaneſceret. Verum tamen vti nobis ipſis talib. oportet, qualeſcunq; ſumus, & quæ videntur eadem ſemper fateri. Et nunc quidem quemlibet cóceſſurum dicamus, hoc ipſum videlicet aliquid aliud eſſe, propterea quod alius alio ſapientior inſcitiórue exiſtat. THEO. Mihi quidẽ videtur. SO. Nũquid in hoc maximè inſiſtere ſermonẽ dicemus, quod ipſi quoq; conceſſimus, adſtipulantes Protagorę: multa quidem quę videntur ea cuilibet eſſe, calida, ſicca, dulcia, cęteráque huiuſmodi? Quod ſi in quibuſdá differre alium ab alio confitebitur, circa ſalubria, & noxia, aſſeret vtique non quamlibet mulierculam, puellámque, & brutum ad ſeipſum curandum per ſalubrium cognitionem ſufficere: ſed in hoc, ſi vſquam alibi, maximè differre. THEO. Idẽ mihi quoq; videtur. SO. Pręterea, nónne in ciuilibus etiam, honeſta & turpia, iuſta & iniuſta ſanctáque & impia, quęcũque ciuitas vnaquęq; exiſtimãs ponit ſibi legitima, eadem re vera vnicuique eſſe dicet? Atque in his nihilò ſapientiorẽ eſſe priuato priuatũ, ciuitatéque ciuitatẽ? At vero in eo quod vtilia & inutilia ſibi reſpub. ſtatuunt, hic, ſi vſquam alibi, confitebitur conſultorem conſultore, rempub. republica in veritate inuenienda differre. Neque audebit vnquam hoc admittere, vt quæcunque ciuitas aliqua vtilia ſibi putans inſtituit, eadem ſemper illi conducant. Sed tibi quidem dico, in ipſis iuſtis iniuſtiſque, ſanctis item & prophanis præſidium ca[illegible] ponunt, nihil ſcilicet eorum ſuapte natura ſubſtanſtiam aliquam habere, ſed quod cómuniter videtur id tum cùm videtur, verum eſſe, & quandiu videtur. Et quicunque non omnino ſententiam Protagoræ referunt, ſic quodámodo philoſophantur. Nos verò, ô Theodore, diſputatio è diſputatione maior ſubinde è minore emergens, occupat. THEO. Haud igitur otioſi ſumus, ô Socrates. SO. Haud videmur. Et ſæpe aliàs, ô beate vir, hoc animaduerti, & nunc maximè, quòd non ad re quicunque diutius in philoſophia verſantur, vbi ad forum ſeſe contulerunt, ridiculi rhetores prorſus apparent. THEO. Qua ratione hoc ais? SO. Videntur hi, qui in iudiciis, & foro ab ineunte ętate iactantur, ad eos qui in philoſophia & huiuſmodi ſtudiis aſſuefacti ſunt collati, vt ſeruis inter liberos educatis eſſe ſimiles. THE. Quo pacto? SO. Ex eo quòd his quidem, vt tu dicebas, ſemper otium adeſt, otióque tranquillo confabulantur: quemadmodum & nos in præſentia tertiò iam ſermonem inſtauramus. Sic & illi, ſiquid vltrà propoſitam quęſtionem, quod magis eos fortè delectet, inciderit, quemadmodum in præſentia nobis contingit, nihil curant, prolixiúſne an breuius loquantur, modò veritatis compotes fiant. Illi autem temporis anguſtiis in loquẽdo ſolicitãtur. Vrget.n. aqua defluens, neque licet de his quę cupiunt verba facere: ſed neceſſitatem aduerſarius affert, libelli formulam adducens, extra quam nihil dicendum, quod iuramentum calumniæ cauendæ vocant. Sermones aũt ſemper de conſeruo contra eum dominum qui in iudicio ſedet, & manu ſentẽtiam tenet. Certamina quoque nũquam fruſtrà, ſed ad rem ſemper, ſæpe etiam de nece & vita agitur. Itaque his omnibus de cauſis intenti acréſque fiunt, ſcientes domino tam verbis adulari, quàm operib. obſequi puſillanimes, & non rectis animis præditi homines. Nam animi magnitudinem, rectitudinem, & libertatem ſeruitus à pueritia ſuſtulit, cogens obliqua peruerſáq; patrare facinora, dũ diſcrimina magna formidinéſque mollib. adhuc incuteret animis, quę omnia, cùm nó poſſint, cum iuſtitia & veritate perferre, confeſtim in mendacia mutuáſque iniurias conuerſi, flectuntur: vndique atque confringuntur, adeò, vt nihil amplius ſanæ mentis habentes ex adoleſcentib. in viros euadant, facundos ſapientéſque, vt ipſi putant. Atque hi quidẽ tales ſunt, ô Theodore, noſtri autẽ chori homines vis referamus? An dimittentes potius ad ſermonẽ propoſitum reuertamur, ne, vt paulò antè dicebamus, ſermonis libertate digreſſionéq; nimium abutamur? THE. Nullo modo, ô Socrates, ſed referamus. probè nanque dicebas quòd in philoſophorum choro non nos ſermonib. ſed nobis ſermones ſeruiant, & vniuſquiſque illorũ perfici à nobis ſuſtinet tum, cũ nobis videtur. Nec enim, vel iudex, vel ſpectator, quemadmodum poetis illis, cenſor, & dominus noſter futurus, nobis præſidet. SO. Dicamus

De philoſophorũ otio & more diſputandi.

Nunquam libere dicere oratorẽ poſſe, ſed vel iudicẽ ſemper metuendum eſſe.

igitur poſtquã tibi videtur, de his qui principes ſunt. Quid enim de his qui philoſophiæ ſtudio abutuntur? Illi igitur ab ineunte ætate primùm quidẽ viam in forum ignorãt, neque iudicium, aut curia, aut concilium ciuitatis aliud vbi ſit, norũt, leges autem decretáque, vel promulgata, vel ſcripta, nec vidẽt, nec audiunt. Factiones autem ſodalitarũ, quæ ad magiſtratus creandos ſpectant, & congreſſus, & cœnas, & laſciuiora conuiuia neque ſomniant quidem. Iã benéne an malè vrbs iam olim habuerit, aut quod cui malum, turpíſue nota à maioribus ſuis, ſeu fœminis,

Prouerbium

ſeu viris ſit, magis eos latet, quàm maris, vt dicĩ ſolet arenæ. Atque hæc omnia etiam neſcire ſe neſcit. neque enim vulgaris gloriç gratia ab his abſtinet, ſed reuera corpus duntaxat illius in vrbe habitat, atque verſatur: mens autem hæc omnia parui, imò nullius æſtimans, paſſim volat, vt ait Pindarus, & quæ ſub terra ſunt, & quæ ſupra dimetiens, & arte cœlum tranſcendens, omnem perſcrutata naturam rerum omnium quæ ad vniuerſum pertinent, his autẽ quæ propè ſunt ſolis, nullo modo applicans ſe. THEO. Quo pacto id ais, ô Socrates? SOC. Quemadmodum

Thaletis caſus.

Thaletem, dum cœlum ſuſpiceret intentus ſyderib. in foueam cadentem Thracenſis quædã eius ancilla cõcinna & lepida arguiſſe dicitur, quòd quæ in cœlo ſunt, peruidere contenderet: quç verò proxima & ad pedes, non videret. Idem ſimiliter omnibus, qui in philoſophia verſantur, obiici poteſt. Latet enim eius proximum non modò quid agat talis vir, ſed ferè homóne ſit, an brutum. Quid autem homo ipſe ſit, & quid ipſius naturæ maximè conueniat, agere aut pati, exquirit, & laborioſè perſcrutatur. Intelligis, ô Theodore, an non? THE. Intelligo equidem, & quod dicis, approbo. SOC. Enimuerò, ô amice, vt in ſuperioribus diximus, ſiquando vir talis, vel priuatim cum aliquo, vel publicè in iudicio, ſiue alibi de his, quæ ad pedes, & in conſpectu ſunt, diſſerere cogitur, riſum mouet, nõ Thracenſibus ſolùm, verum etiam cęteris gentibus, quippe cùm in foueas ambiguitatéſque multas propter harum rerum imperitiam incidat. Vbi abſurda quędam ineptitudo ignauiç notam inurit. Nam cùm fortè vituperandus aliquis eſt, nihil habet quod in opprobrium afferat, vtpote vitiorum ignarus, quandoquidem ſingula ſingulorum mala nunquam animaduertit. ergo tan-

Ad diſputationes forenſes ineptus philoſophus

quam neſcius irridetur. In laudandis quoque extollendíſque hominibus, quum nihil ſimulet diſſimulétue, ſed apertè rideat, delirus eſſe videtur. Etenim quum tyrannum, aut regem laudari ſentit, vnum quendam ſubulcum, aut paſtorem ouium, vel bubulcum extolli exiſtimat, quòd abundè mulgeat. id tamen intereſſe cenſet, quòd reges & tyranni infenſius & inſidioſius animal curent & mulgeant. Agreſtes verò & rudes non minus propter otium, quàm paſtores, illos eſſe neceſſe eſt, ſic mœnibus in vrbe circundatos, vt paſtor caula in monte. Cùm verò agrorum decem millia iugera, aut plura etiam prædicari audit, quaſi magnum quippiam ab illo qui habet, poſſideatur, exigua quædam audire ſe putat, quippe qui vniuerſum terræ orbem ſpectare ſit ſolitus. Quoties præterea quis generis nobilitatem refert, quod ſeptem auos diuites omnes enumerare valeat, hebetis, nihílque magnũ propter ignorantiam cogitãtis animi laudes huiuſmodi cẽſet, quaſi ad totius mundi naturã reſpicere nequeat, & videre quòd innumeri vnumquenque noſtrûm aui atque proaui anteceſſerunt, quorum in numero diuites & inopes, reges & ſerui, Barbarique & Græci innumerabiles præceſſere. Quinetiam quando quis ſtirpem quinque & viginti maiorum dinumerat, & in Amphitryonidem Herculem originem refert, indigna memoratu res illi videtur. Quod enim ille iam inde ab Hercule quintus & vigeſimus talis eſt, cum talẽ fortuna fecerit, etiamſi quinquageſimus ab Hercule ſit, ridet, tãquam eos qui reputare, & abigere inſanæ mentis vanitatem non poſſint. In his omnibus philoſophus vir vulgò ridiculus habetur, partim quia ſuperbus contemptórque apparet, partim quia quæ palàm ſunt, ignorat & ambigit. THEO. Rem ipſam, ô Socrates, vt accidit, enarraſti. SOC. At cùm is aliquem, ô amice, ad ſupera trahit, & ille paratus hinc decedere, miſſis litibus in quibus quæritur in quo ego te, aut tu me læſeris, ad ipſius iuſtitię iniuſtitięque ſpeculationem aſcendit, quid vtraque ſint, quo ab aliis omnibus inter ſe diſcrepent, vel etiam controuerſia illa dimiſſa qua quæritur, vtrum rex beatus ſit, qui multum auri poſſidet, ad contẽplationem regni ipſius, beatitudiníſque humanæ atque miſeriæ, qualia cuique ſint, & quo pacto humanę naturę cõueniat hoc adipiſci, illud fugere: quando inquam, oportet de his omnibus rationem reddere puſillanimem illum, & acerrimum cauſidicum, tunc ſanè viciſſim pœnas philoſopho pendet. Vertiginem enim patitur ab excelſa ſpecula caligantibus oculis, vtpotè qui supernè perſpicere ſit inſolitus. Mœret quoque, titubat, & barbarica profert. Quocirca riſũ non Thracibus, neque rudi cuipiam mouet: neque enim perſentiunt, ſed illis potius omnibus qui liberè, & procul à ſeruili vita educati ſunt. Hæc, ô Theodore, vtriuſque conditio. Altera quidem hominis illius, qui libertate & otio eſt educatus quem philoſophũ vocas. Qui cùm reuera vituperari nõ debeat, tamen fatuus & ineptus apparet, quotieſcunq; ſeruilia aggreditur miniſteria, quum neque ſtramentorum ſarcinas colligare, neque obſoniorum cõdimenta conficere, neque adulatoria blandimenta verborum confingere poſſet. Altera eſt hominis illius conditio, qui hæc expeditè celeritérque ſubminiſtrare poteſt, ſed decenti liberi hominis veſtitu commodè vti neſcit. Sermonis inſuper harmonia conuenienti, deorum & hominum beatorum vitam veram canere prorſus ignorat. THEO. Si cæteris hominibus ea quæ dicis, ô Socrates, æquè ac mihi perſuaderes, pax amplior, & mala pauciora inter homines naſcerentur. SOCR. At impoſſibile eſt, ô Theodore, mala

Impoſſibile eſt, mala penitus extirpari.

Mala in inferioribus.

penitus extirpari. Nam bono oppoſitum aliquid eſſe ſemper neceſſe eſt. Neque illa tamen apud deos locum habere poſſunt. Naturam verò mortalem, regionémque inferiorem neceſſariò circumeunt. Quare conandum eſt, vt hinc illuc quàm celerrimè fugiamus: fuga autẽ eſt, vt Deo ſimiles pro viribus efficiamur. Deo ſimiles efficit, cum prudentia, iuſtitia ſimul & ſanctitas. Cæterũ, ô vir optime, haud facilè id perſuaderi poteſt, quòd nõ illius gratia cuius vulgus exiſtimat, ſequẽda virtus, & vitium fugiendum: hoc eſt, ne malus videaris, vtque bonus appareas. hæ nanque anicularum nugæ mihi eſſe videntur. Sed quod verum ſit ita dicamus. Deus nuſquam & nullo modo iniuſtus, ſed quàm iuſtiſſimus, totam videlicet iuſtitiæ complexus poteſtatem, nihílque illius ſimilius, quàm iuſtiſſimus homo. Circa hoc vera induſtria & fortitudo viri, necnon inertia imbecillitáſque verſatur. Horum ſanè cognitio, vera virtus & ſapientia: ignoratio contrà, inſcitia

&



& improbitas manifeſta. Aliæ verò, quæ facultates ſapientiæque videntur, in ciuilib. quidẽ magiſtratibus moleſtæ ſunt, in artib. autem cæteris illiberales. Illi igitur qui aliquid iniquè patrat & prophana vel dicit, vel facit, ei multò tutiſſimum eſt, ſi nihil vafricie poſſit, nec artib. malis vtatur. Exultant enim opprobrio huius generis homines, ſéque minimè abiectos, & inanes homunculos videri, nec terrę, vt dicitur, pondus iners: ſed viros tales qui tutò in repub. verſari valeant. Ideóq; veritas exprimenda eſt quòd eo magis tales ſunt, quales non putãt, quò minus putant: iniuſtitię quippe mulctã ignorant, quam ignorare minimè decet. Neque.n.eſt, quam forſitan opinantur, verbera atque cædes, quę ſæpe hi patiuntur, qui iniuſtum nihil egerunt, & iniuſti ſæpe deuitant, ſed ea potius quę vitari nõ poteſt. THE. Quam dicis? SO. Cum in rerum ordine, ô amice, exemplaria duo ſint, diuinum quidem beatiſſimum, quod verò Dei expers miſerrimum, nõ videntes ita rem ſe habere, ſtultitia extremáque dementia occupati, latenter, huic quidem ſimiles ob actiones iniquas reddũtur, illi contrà diſſimiles. Cuius profectò delicti pœnas pendent, dum vitã illi conuenientem cui ſimiles effecti ſunt, ducunt. Enimuerò ſi dixerimus, quòd hos quidem, niſi à nequitia ceſſauerint, vita functos locus ille malorum expers nõ capiet: iſtic autem propriæ vitæ ſimilitudinẽ gerent ſemper vnà cum malis mali verſantes: reſpondebunt aſtuti malitioſique homines deliramenta quædam ſeſe audire. THE. Et maximè quidem, ô Socrates. SO. Noui equidem, ô amice. Vnum hoc ſaltem illis accidit, quòd ſiquãdo priuatim reddere viciſſim, & afferre in medium rationes eorum, quæ vituperant neceſſe ſit, velíntque viriliter diſputadi moram perpeti, neque ignauè fugere: tunc demum, quod ô beate, abſurdum eſt, ſua etiam ipſorum dicta improbabunt, eorúmque rhetorica penitus euaneſcit, vt nihilo differre à pueris videantur. Verum his iam finem cum præter propoſitum ſint, imponamus. Alioquin materies vndique plurima confluens ſermonẽ à principio inſtitutum obruet. Reuertamur igitur ad priora, ſi tibi quoque videtur. THE. Mihi quidem iſta, ô Socrates, nihilo moleſtiora auditu contingunt. Facilè nanque qua ætate ſum hoc aſſequor. Veruntamen ſi tibi placet, redeamus illuc vnde digreſſi ſumus. SO. Eò profectò diſputando deuenimus, vt diceremus eos qui eſſentiam omnem in agitatione ponebant, quódue cuiq; videtur, hoc eidem exiſtere, in cæteris quidem reb. vehementius hoc aſſerturos, in iuſtis autem non minimum: quòd omnino quæcunque ciuitas, vt iuſta ſibi apparẽtia ſtatuit, hęc eatenus illi iuſta ſunt, quatenus ſtatuta permanent. At verò neminem fortem adeò futurum, qui idem in bonis vtilibúſq; contendere audeat, quòd videlicet quæcunque vtilia ſibi apparentia inſtituit ciuitas, hæc eatenus illi conferentia ſunt, quatenus talia ſtatuta fuerint, niſi fortè quis nomen dixerit: hoc autem ad id quod volumus ſcõma eſſet potius. nónne? TH. Proculdubio. SO. Nomen ne dicat: ſed rem nominatam ſpectet. & quod tale ciuitas nuncuparit, ad id condendis legib. reſpicit, ac leges ſingulas quoad putat & poteſt, quã maximè ſibi vtiles condit. Num aliud in legib. ferendis intendit? THE. Nihil aliud. SO. Nunquid voti cõpos ſemper efficitur? an ſæpe eam fallit opinio? THE. Sæpenumerò fallit arbitror. SO. Hac præterea ratione quiſque magis hæc eadem confitebitur, ſi quis de omni ſpecie percontetur in qua vtile cõſiſtit. Eſt autem quodammodo & circa futurum tempus. Nam quoties leges condimus, vt in poſterum profuturas condimus, quod quidem futurum rectius vocaremus. THEO. Maximè. SOC. Agedùm ita, vel Protagoram, vel quemuis alium ſectatorem eius interrogemus. Omnium rerum hominem, ô Protagora, menſuram aſſeritis, alborum, grauium, leuium, & vniuſcuiuſque talium. Nam cum iudiciariam illorum vim in ſeipſo contineat, & qualia patitur, talia iudicet, vera ſibi, & quæ ſunt, iudicat. An non ita? THE. Ita planè. SOCR. Nunquid & futurorum, ô Protagora, dicemus, habet in ſeipſo vim iudiciariam? & qualia putat ſibi hæc fore, talia ſibi exiſtimanti contingunt: cùm medicinæ quiſpiam imperitus in febrim ſeſe incurſurum putat, atque ita ſeſe calefactum iri: medicus autem repugnat contraria opinatus: vtrius illorum veram opinionem futuram ducimus? num vtriuſque? & medico quidem neque calidum, neque febricitantem futurum, ſed ſibiipſi vtrunque? THEO. Ridiculum quidem id eſſet. SOCR. Quinetiam de vino quod dulce vel auſterum futurum ſit, agricolæ, non cithariſtæ opinio prævalet. THE. Quidni? SOCR. Neque de conſonante, diſſonantéue futuro gymnaſticus melius quàm muſicus opinatur, quod deinde ipſi gymnaſtico conſonans eſſe videbitur. THE. Nullo modo. SOCR. Quando verò parata menſa offerendæ ſunt epulæ, ac de futura illarum ſuauitate aliquid prædicendum, nónne coqui opinio potior quàm alterius cuiuſlibet popinariæ imperiti? De eo quod vel eſt, vel fuit ſuaue cuique, non pugnamus, ſed de illo potius quod in poſterum eſſe cuique & videri debet: vtrum ſibi quiſque idoneus iudex, an tu potius Protagora quod circa ſermones probabile ſingulis in iudicio futurum eſt, rectius quàm quiuis rudium præuideres? THEODO. In hoc ipſo in primis, ô Socrates, præcellere cunctis Protagoras eſt profeſſus. SOCR. O miſer. nemo per Iouem illum oblata pecunia ſectatus fuiſſet, niſi familiaribus perſuaſiſſet, quod probabile in poſterum erit, videbitúrque, neque vatem, neque alium quemuis melius quàm ſe vnicum præſagire. THEODO. Veriſſima loqueris. SOCRAT. An non legum quoque lationes vtilitáſque ad futurum ſpectant? & quilibet abſque controuerſia fateretur conſtitutionem reipublicæ ab eo quod vtile eſt, ſæpius aberrare? THE. Valde. SOCR. Satis iam aduerſus pręceptorem tuum dictum ſit, quod fateri cogitur, alium alio ſapientiorem exiſtere, cúmque talem menſuram eſſe. Me autem cùm expers ſcientiæ ſim, nihil menſuram fieri, cogit, quemadmodum ſermo nuper illius vrgebat, quòd videlicet ſeu velim, ſiue nolim, talis eſſem. THEO. Ex illo, ô Socrates, maximè conuinci illius ſermo videtur, & ex hoc nonnihil, quod aliorum opiniones validas efficit: hæ verò ſermones illius palàm reprobant, falſos exiſtimantes. SOCRAT. In multis inſuper, ô Theodore, depræhendi hoc licet, non omnem omnium opinionem veram exiſtere. Sed circa præſentem cuique paſſionem, ex qua ſenſus, & ſecundum ſenſus opiniones naſcuntur, difficilius depræhenditur ſenſus opinionéſque veras non eſſe. Fortè verò nihil dico. Nam ſi aſſecutæ ſunt, conuinci non poſſunt: & qui illas certas atque ſcientias eſſe aſſererent, forſitan non aberrarent. Et idcirco Theætetus hic haud ab re inquit ſenſum & ſcientiam idem eſſe. Quamobrem propius accedendum eſt, quemadmodum Protagoreus ſermo

præce

pręcepit, & hanc agitatam eſſentiam pulſando examinãdum, integrúmne, an colliſum ſonum reddat: pugna vtique de illa nõ mediocris, nec inter paucos extitit. THE. Permultum ſanè abeſt, vt vilis contentio ſit, quæ per Ioniam paſſim propagata eſt: ſiquidem Heracliti ſtudioſi huic ſermoni ſummoperè ſuffragantur. SOC. Propterea, ô amice Theodore, à primordiis hæc inſpicienda ſunt, vt illi opponunt. THE. Omnino. etenim, ô Socrates, de Heracliticis, vel, vt tu ais, Homericis, ac etiam antiquioribus iſtis apud Epheſios, eos præſertim qui peritiores videri volunt, non magis, quàm apud œſtro concitos loqui licet. Planè enim ſcripta illorum impetu feruntur. Mora autẽ expectatióque in ſermone & quęſtionib. & quies inter reſpõdendum interrogãdúmque, minus illis adeſt, quã quod nihil. Imò etiam minus, quàm nihil: adeò parum viris illis requietis in animo eſt: ſed ſiquidẽ illorũ aliqua de re interroges, tãquam ex pharetra obſcura verbula depromẽtes ſagittant. Et ſi huius rationẽ perquiras, altera quadam ſed nomine mutato feriũt, nũquam verò cũ illorum aliquo quicquã perficies, neque ipſi inuicem. Idque vnum obſeruãtiſſimè curãt, vt nihil ſtabile, aut in ſermone, aut in animis ſuis eſſe permittant, putãtes (vt mihi videtur) idipſũ ſtabile eſſe, atque id totis virib. inſectantur, & vndique vehementer expellunt. SO. Forſitã, ô Theodore, hos viros in pugna vidiſti, in pace verò nequaquã. Neque enim amici tibi ſunt. Verùm talia quædam diſcipulis ſuis, vt arbitror, in otio dicunt, quos ſimiles ſibi reddere volunt. THE. Quib. diſcipulis, ô beate? Neque enim inter iſtos alter alterius fit diſcipulus, ſed ſpõte naſcuntur, vndecunque contingit eorum quenque furore corripi. Atque alter alterum ſcire nihil exiſtimat. Ab his itaque rationem, vt modò dicebã, nullam vnquam accipies nec volentib. nec inuitis. Nos autem oportet tanquam propoſitione accepta cõſiderare. SO. Scitè loqueris. ſententiam ſiquidem aliam quandam accepimus à priſcis poëmate vulgus hominum celantib. quòd origo aliorum omnium Oceanus ſcilicet, atque Tethys ſit, quódque fluxus ſint omnia, nihilque conſiſtat. A recentioribus autem atque iis ſapientioribus rem adeò clarè demonſtrantib. vt vel cerdones eorum ſapientiam audiendo perciperent, deſinerént que ſtultè putare cõſiſtere partim res, partim contrà moueri, ab iis inquã accepimus moueri omnia, quos authores illi venerantur. Propemodũ aũt ô Theod. oblitus eram quòd alij his contraria monſtrarunt: vniuerſi videlicet congruum nomẽ eſſe hoc exiſtẽs immobile, & alia quęcunque Meliſſei Parmenideíque aduerſantes his omnib. aſſeuerant, quòd omnia vnum ſunt, ídque vnum ipſum in ſeipſo conſiſtit, locum in quo moueatur nullum penitus habẽs. Quid de his omnib. ô amice dicendũ? ſenſim nanque progreſſi vtrorúmque medij clàm euaſimus. quòd ſi nullo pacto propugnantes abeamus imbelles, pœnas dabimus inſtar eorũ qui in palæſtris ad lineam ludunt, quando ab vtriſque appræhenſi in contraria diſtrahuntur. De his itaque prius agendum videtur, quos primò fluentes ſcilicet aggreſſi ſumus. Et ſi quid probabile dicere videbuntur, cum illis vnà nos ipſos trahemus, alios effugere conantes. Sin autem qui vniuerſum ſtabile ponunt, veriora protulerint, refugiemus ad eos ab illis, qui etiam immobilia mouẽt. At ſi neutri veriſimile aliquid adducere nobis appareant, ridiculi euademus, putãtes nos viles homunculos magnum aliquid ſapere, cùm nihil niſi priſcis illis ac ſapientib. viris derogauerimus. Vide igitur, ô Theodore, vtrum præſtet nécne tantum ſubire periculum. THE. Nullo modo committendum eſt, ô Socrates, quin vtrorũque ſenſa quid veri, quid falſi habeant, diſcutiamus. SO. Diſcutiendum eſt iam, poſtquàm & tu id vſque eò expetis. Videtur vtique mihi diſputationis huius principium à motu ſumendũ, quo ſcilicet motu moueri omnia dicant. Quod autem dico huiuſmodi eſt, vtrum ſpeciem vnã motus inducant, an quemadmodum mihi videtur, ſpecies duas. Neque id tamẽ mihi ſoli videri cupio, ſed tibi quoque, vt pariter ambo quicquid oportuerit patiamur. Dic igitur. Nunquid moueri dicis, quando locum quid ex loco mutat, vel in eodẽ vertitur? TH. Equidẽ. SO. Ergo vna hæc ſpecies eſto. At cùm eodem in loco quid permanẽs ſeneſcit, vel nigrum ex albo, vel ex molli durum efficitur, aut alia quadam alteratione mutatur, nónne alteram hãc motus ſpeciem meritò nuncupabimus? TH. Meritò. SO. Ex eis neceſſarium eſt geminas ſpecies motus exiſtere, alterationem ſcilicet, motúmque localem. THE. Probè. SO. Hac diſtinctione pręmiſſa, ad eos qui moueri omnia volunt, iam pergamus & hunc in modum interrogemus. Vtrũ quodlibet fatemini vtroque modo moueri, alteratum pariter atque delatum? aut aliquid vtroque modo, aliquid vnico? THE. Equidem quod aſſeram non habeo, arbitror tamen illos vtroque modo dicturos. SO. Alioquin, ô amice, agitata ſimul & conſiſtentia ſibiipſis videbuntur, nec magis moueri omnia, quàm ſtare omnia licebit aſſerere? THE. Vera loqueris. Poſtquam moueri ipſa oportet, abſentiam verò motus illi competere, omnia vtique ſemper omni motu mouentur. THE. Neceſſariò ſequitur. SOC. Hoc age ex eorum dictis conſidera, caloris ſcilicet, vel albedinis, vel cuiuſlibet generationem. Nonne diximus eos putare vnumquodque horum ferri ſimul, cum ſenſu inter agens, & patiens quidem ſenſibile eſſe, nõ ſenſum, agens autem quale quid, non tamen qualitatem eſſe? Fortè qualitas extraneum tibi nomen videtur, neque ſic in genere dictum percipis, in partibus igitur audi. Agens enim neque calor, neque albedo, ſed calidum potius albúmque, cæteráque eodem pacto. Recordaris ita nos ſuprà dixiſſe, nihil ſecundum ſeipſum vnum aliquid eſſe, neque inſuper agẽns, aut patiens, ſed ex vtriſque viciſſim congredientibus, ſenſus & ſenſibilia emanantia partim fieri qualia quædam, partim verò ſentire? THE. Memini, ac cur non ita dicant? SO. Cætera igitur prætermittamus, ſiene, an aliter dicant. Id verò vnum cuius gratia diſputatur, diligentius exquiramus. Mouentur, vt dicitis, fluúntque omnia. Nónne? THE. Certè. SOC. An non vtriſque illis quos diſtinximus motibus, delata ſimul, & alterata? THEO. Quídni, ſi modò perfectè moueri illa neceſſe ſit? SOCR. Si igitur ferrentur ſolùm, neque tamen alterarẽtur, poſſemus dicere qualia quędam fluunt quæ feruntur, aut quomodo dicemus? THE. Hoc pacto. SO. Quoniam verò neque id permanet, vt album ſcilicet, quod fluit fluat, ſed permutatur ita vt huius ipſius ſit fluxus albedinis, & in alium colorem tranſitus, ne vllo modo permanere dephręhendi poſſit, vnum poſſumus aliquando colorem aliquem pronuntiare ita, vt rectè denominemus? THE. Atqui quo pacto, ô Socrates, aut in hoc, aut in alio vllo id fieri poteſt, ſiquidem dum pronunciamus continuò ſubterfugit, vt pote quod ſemper fluit? SO. Quid porrò de quouis ſenſu dicendum,

vt

Mos Heracliticorum in diſputando.

Nihil per ſe ipſum vnum aliquid eſſe.



vt videndi, vel audiendi? nunquid in viſione, aut auditu aliquando permanere? TH. Minimè omnium, ſiquidem cuncta mouentur. SO. Neque igitur videre quicquam potius, quam non videre dicendum, neque alio vllo ſenſu vti magis, quàm non, vti cùm omnia penitus tranſmutentur. THE. Non certè. SO. Veruntamen ſenſus ipſe ſcientia eſt, vt ego, Theætetúſque diximus. TH. Dictum quidem. SO. Non igitur ſcientiam magis, quàm non ſcientiam reſpondebamus, quid ſcientia ſit interrogati. TH. Sic certè videmini. SO. Opportunè itaque reſpõſionem illam emendaremus, ſi demonſtrare contẽderemus quòd omnia moueantur, vt recta illa reſponſio videatur: hoc autem, vt videtur, apparuit, quòd ſi omnia mouentur, reſponſio quælibet, de quocunque quis reſpondeat, æquè recta eſt, qua id ſic ſe habere, & non ſic habere ſe reſpondetur. Quod ſi magis, fieri, dicendum, ne ipſos ſermone ſiſtamus. THE. Rectè loqueris. SOC. Præterquam in hoc, ô Theodore, quod ita & non ita dicebam. oportet autem neque hoc ita dicere. Neque enim amplius ita moueretur, neque rurſus nõ ita. Non enim motus hoc, ſed nomẽ aliud imponendũ ab iis qui talia diſſerunt: quoniam nunc ad eorum ſuppoſitionem verba non habent, niſi fortè dictionẽ hanc, ſcilicet non quomodocunque habere videantur, quæ quidem potiſſimum ipſis congruit infinitè prolata. THE. Valde conueniens illis hæc dictio eſt. SO. Iam, ô Theodore, quod ad amicũ tuum attinet, expediuimus: needum cõceſſimus illi quemlibet hominem rerum omnium eſſe menſuram, niſi ſapiens quis exiſtat. Scientiam inſuper eſſe ſenſum minimè concedemus, ſecundum rationem illam quæ moueri omnia prædicat, niſi fortè Theætetus hic alio quodã modo dicat. TH. Optimè dixiſti, ô Socrates. His enim peractis me quoque ab his expeditum eſſe decet, vt inter nos cõuenerat, poſtquam diſputatio aduerſus Protagoram finem accepit. TH. Ne deſiſtite quęſo, ô Theodore, antequã tu & Socrates percurratis eos inſuper qui ſtare omnia voluerũt, quemadmodum paulò antè propoſuiſtis. TH. Cum ſis iuuenis, ô Theætete, ſeniores iniuriam facere doces, dum pacta tranſgredi exhortaris: ſed accingere tu, vt reliquorum Socrati, ſi velit, rationẽ reddas. THÆ. Libentiſſimè tamen ea de quibus loquor audirem. THEO. Equites in campum prouocas, cum Socratem ad diſputandum accerſis. Interroga igitur, atque audies. SO. Videor equidẽ, ô Theodore, in his quæ Theætetus iubet, ipſi minimè pariturus. THE. Quid obſtat quò minus obſequaris? SO. Et ſi Meliſſum, atque alios qui vnum conſiſtens vniuerſum dicunt, vereor ne fortè oneroſi videamur illos exagitantes, minus tamen, quàm vnicũ Parmenidem vereor. Parmenides autẽ, vt Homericis verbis vtar, verendus mihi acérque videtur. Collocutus ſum olim cum illo ſene admodum adhuc adoleſcẽs, mihíque viſus eſt profundã generoſámque omnino ſapientiam poſſidere. formido itaque ne dicta eius vocéſque nequaquam intelligamus: quod autẽ verbis ſubintelligit, multò magis nos lateat: & quod maximum eſt, cuius gratia diſputatio inter nos cœpit, quid ſcientia ſit inquirens, indiſcuſſum relinquatur propter diſputationes temerè irruentes, ſi quis eis obſequatur: præſertim cùm ampliſſima quæſtio illa, quam modò induximus, ſi præter propoſitum & quaſi digrediendo tractetur, indigna nimium paſſura ſit: & ſi latius exactiúſque perficiatur, ſcientiæ ipſius inueſtigationem impeditura. Neutrum verò decet, ſed magis Theæteti fœtũ circa ſcientiam obſtetricia facultate in lucẽ educere, & diligenter examinare. THE. Si ita videtur, ita agendũ eſt. SO. Hoc igitur, Theætete, circa ſuprà dicta inſuper cõſidera. ſenſum eſſe ſcientiam repõdiſti, an non? TH. Certè. SO. Si quis interrogaret, quóna alba & nigra homo videat, quóue acuta & grauia audiat: oculis, vt arbitror, & auribus reſponderes. THE. Equidem. SO. Vti nominib. verbiſque cõmunioribus, neque exactè curioſéq; diſquerere, ſæpenumero generoſi animi eſt, contrarium autẽ illiberalis: nonnunquam tamen neceſſarium eſt, quemadmodum in præſentia examinare cogimur, qua ex parte reſponſio tua minus recta ſit. Attende quæ reſponſio rectior, vtrum quæ dicit, quo videmus, id oculos eſſe: an quæ dicit, per quod videmus. Item quo audimus, aures, an per quod audimus. THE. Potius mihi per quæ ſingula ſentimus, quàm quib. ſentimus reſpõdendum videtur, ô Socrates. SO. Abſurdum quidẽ id eſſet, ô puer, ſi multi in nobis ſenſus quemadmodum in ligneis equis inſiderent, & omnia hæc in vnam ſiue ideam, ſiue animam, ſeu quomodocũque vocari decet, minimè tenderent, qua per iſta tanquam per organa quæcunque ſenſib. ſubiacent ſentiamus. THE. Mihi quidem hoc potius, quàm illo modo videtur. SO. Idcircò iſta tecum diligenter perquiro, vt videamus, vtrum vno quodam eodem quod inſit nobis, per oculos quidem alba & nigra percipiamus, per alia verò organa alia quædam: poſſíſque interrogatus, in corpus ſingula hæc referre. Præſtat forſitan te ad ſingula reſpondere, quàm me tui vicem gerendo defatigari. Dic itaque, ea per quæ ſentis calida & ſicca, leuia atque dulcia, nónne corporis organa ſingula ponis? an alterius cuiuſpiam? THE. Nullius alterius. SOC. Nunquid fateberis quæ per aliam potentiam ſentis, per aliam ſentire non poſſe? veluti quæ per auditum, eadem per viſum: & contrà, quæ per viſum, eadem per auditum? THE. Quidni fateor? SOCR. Si quid ergo de vtriſque cogitas, non vtique per aliud organum, neque etiam per aliud de ambobus id ſentis. THE. Non certè. SO. De voce atque colore vtriſque ſimul, primum quidem id cogitas, quòd vtraque ſunt. TH. Cogito. SO. Item quod alterutrum ab alterutro diuerſum eſt, & ſibimet idem. THE. Eſt iſthuc. SO. Quódue ambo, duo ſunt, vtrunque verò vnum. THE. Id quoque. SOC. Potes inſuper vtrùm ſimilia inter ſe, vel diſſimilia ſint, iudicare? THE. Fortè. SO. Hæc vtique omnia per quod potiſſimum de ipſis exiſtimas? Non per auditum, non per viſum, commune circa illa quicquam accipi poteſt. Hinc præterea quod dicimus, coniectare licet. Si enim de vtriſq; iudicari poſſet, falsáne ſint, an nõ, poſſes proculdubio declarare quo iudicares: idque non viſum, non auditum, ſed aliud quiddam eſſe conſtat. THE. Cur non linguæ vis id efficiat? SOC. Scitè loqueris. Illa verò potentia per quod tibi oſtendit quod ſingulis eſt commune, quódue ſuper ſingula, quo eſſe & non eſſe denominas, quæ paulò antè de his percontabamur, qualia organa his omnibus aſſignabis, per quæ id quod ſentit in nobis ſingula ſentiat? THE. Eſſentiam ais & ipſum non eſſe, ſimilitudinémque & diſſimilitudinem, nec non idem & alterum, vnum quoque & alium circa illum numerum vnumquenque. patet enim quod quæris, per quod potiſſimum ex corporeis inſtrumentis ipſa anima par & impar; & quæ ſequuntur, percipiamus. SOCR. Egregiè admodum, ô Theætete, aſſequeris.

atque

Hoc in loco Plato videtur cum Parmenide ſentire.

Alludit ad equum Troianum.

atque hęc ipſa ſunt, quę interrogo. THE. Per Iouem. ó Socrates, quid dicã ignoro, niſi quòd mihi ab initio videbatur, nullũ huiuſmodi proprium organum his vt illis accõmodari, ſed ipſam potius per ſeipſam animam, communionem in omnibus iudicare. SO. Pulcher es, ó Theætete, nec vt aiebat Theodorus, deformis. Nã qui pulchrè loquitur, pulcher eſt atq; bonus. Accedit ad hæc, quòd ingens mihi beneficiũ cõtuliſti. Nã prolixa graui diſputatione me liberaſti, poſtquam tibi videtur anima quædam per ſeipſam animaduertere, nonnulla per corporis vires appræhẽdere. Nã hęc mea ſententia erat, quam tibi quoq; cupiebam perſuadere. THE. Mihi certè perſuaſum eſt. SOC. Quorum in numero eſſentiam ponis? Hæc ſanè maximè ad omnia ſequitur. THE. Eorum quæ ipſa per ſe anima affectat atque aſſequitur. SO. Nunquid & ſimile diſſimileq;, & idem & alterum? THE. Et hęc. SOC. Quid pulchrum & turpe, bonúmque & malum? TH. Horum quoque mihi videtur maximè omnium eſſentiam inuicem conſiderare, reputans, atque comparans in ſeipſa præterita præſentiáque ad futura. SO. Aduerte & hoc, rei duræ duritiem per tactum ſentiet, & mollis ſimili ratione molliciem. THE. Ita. SO. Eſſentiã verò, & quòd ſunt, mutuámq; contrarietatem, ipſiúſque contrarietatis eſſentiam ipſa anima per ſe volutans, & inuicem conferens, diſcernere nititur. TH. Omnino quidem. SOC. An non ſtatim natis hominibus atque brutis naturalis quædam facultas adeſt, qua paſſiones per corpus manantes in animam ſentiunt? Ratiocinatio verò comparatióq; iſtorum ad eſſentiam vtilitatémque vix tandem poſt lõga curricula temporis, frequenti ſtudio & diſciplina aduenit quibuſcunque competit? TH. Ita prorſus. SO. Num veritatem eo percipere poſſumus, quo eſſentiam non percipimus? THE. Minimè. SO. Cuius autem quis veritate caret, huius ſcientiam vllam habet? THE. At quo pacto id fieri poſſet? SOC. In paſſionib. igitur ſcientia nequaquam ineſt, in ratiocinatione tamen quæ circa illas verſatur, ineſſe videtur. eſſentiam quippe veritatémque hac attingere poſſumus, illis verò nequaquam. THE. Cõſtat. SO. Num idem illud & hoc vocas, cùm tanta inter ſe differentia diſcrepent? THE. Haud ſanè deceret. SO. Quod illi nomen attribuis? ei ſcilicet quod eſt videre, audire, odorari, * guſtare, calefieri, frigefieríque? Num ſentire? THE. Idipſum. quid enim aliud? SOC. Vniuerſum igitur hoc ſenſum vocas? THE. Neceſſe. SO. Huic veritatis perceptionem conuenire negauimus, cum eſſentiam non percipiat. TH. Sic eſt. SO. Neque ſcientiæ igitur compos erit. THE. Non. SO. Ex his ſequitur, ó Theætete, ſcientiam & ſenſum nunquam idem fore. THE. Nunquam penitus. SOC. In his perſpicuè patuit, aliud ſenſum, aliud ſciẽtiam eſſe. Verum non huius gratia diſſerere cœpimus, vt quid ſcientia non ſit, imò quid ſit, inueniremus. Eatenus verò diſputando proceſſimus, vt ſcientiam in ſenſu nullo modo quęrendam iudicauerimus, ſed in eo nomine potius, quod tunc ſortitur animus, cum ipſe ſecundum ſeipſum circa illa quæ ſunt, verſatur & agit. THE. Atqui hoc, ó Socrates, vt ipſe arbitror, opinari vocatur. SO. Rectè arbitraris amice. Et nunc ab initio rurſus aduerte, deletis ex animo cunctis ſuperioribus, nunquid maius perſpicias, poſtquam hucuſque euectus es. Quídue ſciẽtia ſit, iterum explica. THE. Opinionem quamlibet, ó Socrates, ſcientiam dicere impoſſibile eſt, cum & falſa quædam opinio ſit. Apparet autem opinio vera, ſcientia eſſe.

Anima quędam per ſe quædam per corpus comprehendit.

* Deeſt in Græco.

Senſus non percipit eſſentiam.

Quando eſt opinio.

ídque à me nunc reſponſum puta: quod ſi aliter diſputãdo deinceps videbitur, aliquid aliud afferre conabimur. SO. Euge Theætete. ſic prõpto animo diſputare decet, neq;, vt cœperas, tergiuerſari. Si.n. ita fecerimus, alterum è duob. cõtinget, aut quod affectamus inueniemus, aut certè quòd ignoramus minus nos ſcire putabimus: neque mediocre lucrum id erit. & nunc quidẽ quid ais? An cùm duæ ſint opinionis ſpecies, vera vna, & altera falſa, opinionem verã ſcientiam definis? TH. Definio. hoc enim mihi in præſentia videtur. SO. An de opinione deinceps ab initio pertractandũ? THE. Quidnã dicis? SO. Turbat me nunc & ſæpe aliàs, adeò vt in ambiguitate plurima quò ad meipſum & quò ad alios verſer, explicare non valens quęnã ſit hęc in nobis affectio, quóue pacto adueniat. THE. Quænã hæc? SO. Falsò ſcilicet aliquem opinari. de quo nunc etiam ambigo, vtrum id omittamus, aut aliter quàm ſuprà conſideremus. THE. Quini, ó Socrates, ſi quomodo decere cenſes? præclarè enim tu & Theodorus in ſuperioribus de otio dicebatis, quòd nihil in talibus vrgeat. SO. Opportunè admonuiſti: fortè enim haud ab re erit tanquam veſtigium iteratò percurrere: pręſtat namque parum bene, quàm multùm non ſufficienter determinare. THE. Præſtat ſanè. SO. Quomodo igitur, & quid dicimus? falſam plerunque opinionem eſſe dicimus, & aliquem noſtrûm falſa opinari, alium vera, quaſi hæc ex natura ita ſe habeant? TH. Dicimus abſq; dubio. SO. Nónne hoc nobis tam circa omnia, quàm circa ſingula competit? noſſe videlicet, vel ignorare? nam diſcere & obliuiſci, vtpote iſtorum media, impræſentiarum tranſeo, cum nihil ad propoſitum nobis conferant. THE. Nihil prorſus, ó Socrates, aliud præter noſſe, vel ignorare circa vnumquodque relinquitur. SOCR. Nónne igitur neceſſarium eſt opinantem opinari illa de quibus nouit aliquid, vel non nouit? THE. Neceſſarium. SOC. Quin etiam noſcentem ignorare idem vel ignorantem noſſe impoſſibile eſt.

Secũda ſcientię definitio.

Præſtat parum bene, quàm multum non ſufficienter determinare.

Noſſe & ignorare, circa omnia, & ſingula.

** Quæ nouit, ea putare quæ nouit.*
*Quæ non nouit, ea putare quæ non nouit.*
*Quæ nouit, ea putare quæ non nouit.*
*Quæ non nouit, ea putare quæ nouit.*

*Mar. Ficini.

TH. Quidni? SOC. Num qui falſa opinatur quæ nouit, ea putat non ea eſſe, ſed alia quædam quæ etiam nouit: & vtraq; noſcens, vtraque rurſus ignorat? TH. At fieri hoc nequit, ó Socrates. SO. An fortè quę non nouit, ea putat alia quædã eſſe quæ non nouit? & qui neque Theætetũ, neque Socratẽ agnouit, cogitare vnquam poteſt Socratẽ Theętetum, vel cõtrà Theętetum Socratem eſſe? TH. Nunquam. SO. Neque tamen quæ quis nouit, ea quæ nõ nouit, eſſe putat: neque rurſus quæ non nouit, ea quæ nouit. TH. Monſtrum enim eſſet. SO. Quo pacto igitur falſa quis opinabitur? Præter hæc quidem opinari nõ licet, quandoquidẽ omnia vel noſcimus, vel ignoramus: in his autem nullo modo falſa opinari quis poſſe videtur. TH. Vera loqueris. SO. An fortè, nõ ita conſiderandum quod quærimus, ſecundum noſſe & non noſſe procedendo, ſed ſecundum eſſe & non eſſe? THE. Quî iſthuc ais? SO. Ne ſimplex ſit, quoniam qui quæ nuſquam ſunt, in quacunque tandem re opinatur, is non poteſt non falſa opinari, quomodocunque tandem cogitet. TH. Decens id quoque, ó Socrates. SO. Quomodo igitur, quídue reſpondebimus Theætete, ſi quis nos interroget (poſſibile eſt autem vnicuique quod dico) Quiſnam hominum ipſum quod nõ eſt opinetur? ſiue de aliquo eorum quæ ſunt, ſiue

Secũdus modus putandi.

An quiſquã opinetur quod non eſt.





ipſum ſecundum ſeipſum? Ad hęc vtiq; reſpondebimus: quando ſcilicet quiſpiam opinãdo vera nõ opinatur. aut quid dicemus? THE. Sic certè. SO. Num & alibi tale quid accidit? THE. Quid iſtuc? SOC. Vt aliquis videat quidẽ aliquid, videat aũt nihil? THE. Et quonam pacto? SO. At verò ſi vnum quiddam videt, exiſtentium quiddã videt. an ipſe putas vnum in his quæ nõ ſunt, eſſe? THE. Minimè. SO. Qui ergo vnum aliquid videt, exiſtens aliquid videt. THE. Apparet. SO. Et qui aliquid audit, vnum aliquid audit, & exiſtens audit. THE. Profectò. SO. Item qui aliquid tangit, vnum aliquid tangit, & exiſtens inſuper, ſi quidem vnum. THE. Et iſtud. SO. Qui autem opinatur, nónne vnum aliquid opinatur? THE. Neceſſarium eſt. SOC. Et qui vnum aliquid, nónne exiſtens aliquid? THE. Aſſentior. SOCR. Qui ergo non exiſtens opinatur, nihil opinatur. THE. Non videtur. SOCR. At qui nihil opinatur, omnino non opinatur. THE. Conſtat. SOCR. Impoſſibile igitur eſt, quod non eſt opinari, ſiue de aliquo eorum quæ ſunt, ſiue ipſum ſecundum ſeipſum. THE. Impoſſibile videtur. SOC. Aliud itaque eſt opinari falſa, quàm ea quæ non ſunt opinari. THE. Aliud apparet. SOCR. Neque igitur ſic, neque vt paulò antè conſiderauimus, opinio falſa nobis ineſt. THE. Non certè. SOCR. At in hunc modum hoc forſitan appellamus? THE. Quem? SOC. Alienam quandam opinionem, falſam opinionem eſſe dicimus, quando quis aliquid eorum quæ ſunt, aliud quiddam eórum quæ & ipſa ſunt, prout animi cogitatio mutarit, eſſe dicit, ſic enim exiſtens aliquid ſemper, ſed pro alio aliud opinabitur: cúmque ab eo quod cogitauit aberret, iure falſa opinari dicetur. THE. Rectiſſimè mihi nunc dixiſſe videris. Nam quoties aliquis pro pulchro turpe, vel contrà pro turpi pulchrum opinatur, toties falſa opinari non ab re iudicetur. SOC. Contemnis me apertè, ó Theætete, neque vereris? THE. Quorſum hæc? SOC. Haud enim, puto, videor tibi quod reuera falſum eſt appræhendiſſe, cùm interrogarem vtrum poſſit velox tardi, aut leue grauis, vel aliud quiddam contrarium non ſecundum naturam propriam, verum ſecundum naturam contrarij ſibiipſi contrarium fieri. Ne igitur id fruſtra aut temerè audeas, dimitto: placet autem tibi, vt ais, falſa opinari, eſſe idem quod & aliena opinari. THE. Mihi quidem. SO. Licet ergo, vt ipſe putas, alterum quiddam vt alterum, & non vt illud cogitatione ponere. THE. Licet vtique. SO. Quando id igitur facit cogitatio, an non neceſſe eſt ipſam, aut vtraque, aut alterum cogitare? THE. Neceſſe omnino. SO. Aut ſimul, aut ſeorſum? THE. Et iſtud. SO. Ipſum autem cogitare, num idem quod & ego, vocas? THE. Quid tu vocas? SO. Sermonem quem ipſa anima apud ſe voluit circa illa quę conſiderat. rem tibi, eámque vt minimè peritus, declaro. Hoc enim mihi videtur, cogitatione ſcilicet animã nihil aliud agere, quàm ſecum ipſam diſſerere, interrogando, reſpondendo, affirmando, atque negãdo. Poſtquàm verò definit, idémque ſiue tardius, ſeu velocius animaduertens aſſerit, neque vagatur, hanc ipſius opinionem ponimus. Quamobrem opinari loqui appello, opinionémque ſermonem, non ad alium, neque voce, ſed ſilentio, & ad ſeipſum. Tu verò quid ſentis? THE. Idem. SO. Quando igitur aliquis alterum, opinatur alterum, tunc vt videtur ad ſeipſum dicit, alterum eſſe alterum. THE. Quidni? SOC. Recordare obſecro, ſiquando tecum ipſe dixeris, pulchrum omnino turpe, vel iniuſtum eſſe iuſtum: imò, vt in ſumma dicam, nunquid perſuadere tibi vnquam conatus ſis, quòd maximè omnium alterum ſit alterum, an prorſus contra? nec in ſomniis vnquam auſus fueris tecum dicere, quòd paria prorſus imparia ſint, vel aliud quiddam huiuſmodi. TH. Nunquam certè. SOC. Nunquid alium quempiam ſiue prudentem, ſiue inſanum, auſurum exiſtimas ſecum loquẽdo ex induſtria ſibi perſuadere bouem neceſſariò equum, vel duo vnum eſſe? TH. Minimè per Iouem. SO. Si ſecũ loqui opinari eſt, nemo dum vtraque dicit, opinatur, attingitq; animo, proferret vnquam opinaretúrque alterum eſſe alterum. Mittamus, ſi placet, verbũ hoc alterũ. hoc autẽ eſt quod volo, neminem opinari turpe eſſe pulchrũ aut aliud quicquam eiuſdem generis. THE. Mitto equidem, ó Socrates, mihíque quod ais, admodum placet. SO. Quare fieri nequit, vt qui opinatur ambo, alterum eſſe alterum opinetur. THE. Patet. SO. At neque is qui alterum opinatur tantum, alterum minimè, vnquam alterum eſſe alterum opinabitur. THE. Vera narras: nam cogeretur etiam quod non opinatur attingere. SO. Neque igitur qui ambo, neque qui alterum opinatur, aliena opinari poteſt. Quapropter qui falſam opinionem aliena opinari definit, nihil efficit. Vnde neque hoc modo, neque ſecundum ſuperiora opinionem falſam nobis ineſſe conſtat. TH. Non, vt videtur. SO. Veruntamen, ó Theętete, ſi hoc non eſſe apparuerit, multa & abſurda confiteri cogemur. TH. Quænam? SO. Non prius dicã tibi, quam omnino conſiderare contendero: puderet.n. me noſtri in iis quæ dubitamus, ſi confiteri quæ dico, cogeremur: ſed ſi inuenerimus, liberíque euaſerimus, tum demum de aliis loquemur, quibus talia vſu veniunt, vtpote ipſi ab huiuſmodi ridiculo errore penitus alieni. ſin autẽ omnino deficiemus, humiles facti veluti fluctuãtes & nauſeam patientes, orationi nos permittemus, vt vel conculcet nos, vel agat quò velit. Itaque ſiquem exitũ inueniam quæſtionis huius, iam audi. THE. Dic modò. SO. Haud fatebor rectè nos conſenſiſſe, quando conceſſimus, quæ quis nouit, opinari non poſſe ea quę non nouit, atque mentiri. Imò fieri quodammodo poteſt. THE. Nunquid ais, quod & ego tunc ſuſpicatus ſum, quando id tale eſſe diximus, quod nonnunquam ego Socratem noſcens, eminúſque alium ignotum mihi proſpiciens, Socratem mihi notum eſſe putarim? contingit enim in hoc quod dicis. SOC. Nónne ab eo iam depulſi ſumus, quod efficiebat, vt quę noſcimus, cognoſcentes minimè noſceremus? THE. Prorſus. SO. Ne igitur ſic amplius, ſed iſto modo ponamus, ac fortè quiſpiam nobis aſſentietur, fortè etiam aduerſabitur. Verum ad id attendamus in quo neceſſarium eſt ſermonem illum qui omnia inuertit, examinare. Vide itaque an aliquid dicam, poteſtne qui antè aliquid ignorauit, poſteà diſcere? TH. Poteſt certè. SOC. Nónne aliud deinceps atque aliud? THE. Quid obſtat? SOC. Pone exempli cauſa, ceream vnam in animis noſtris effigiem, in hoc maiorem, minorem in illo, in hoc purioris ceræ, ſordidioris durioriſve in alio, in quibuſdam mollioris, in nonnullis etiam temperatæ. THE. Pono. SOC. Donum igitur hoc eſſe dicamus Muſarum matris Memorię, & in hoc quicquid eorum quæ aut videmus, aut audimus, aut ipſi excogitamus, meminiſſe cupimus, inſinuantes ipſum ſenſibus intelligentiiſque, veluti anulis ſignãtes exprimimus, quódque ſignatum fuerit, meminimus nos, & ſcimus quoad figura

Tertius modus.

Cogitare quid.

Oopinari quid.

Mater Muſarum, Memoria.

permanet. at cùm aboletur, vel inſcribi nequit, obliuiſcimur atque neſcimus. TH. Sic eſto. SO. Qui ergo ſcit quidem illa, conſiderat autem quicquam eorum quę videt vel audit, vide vtrum hoc modo falſa opinetur? THE. Quonam? SOC. Quæ nouit eſſe putans, nunc quidem quæ nouit, nunc verò quæ non nouit. Hæc vtique ſuprà non rectè confeſſi ſumus, impoſſibilia conſitentes. THE. Nunc autem

Hæc Marſi. Ficinus.

*In notis ſine ſenſu.*
*Noſſe, quod nouit.*
*Noſſe, quod non nouit.*
*Non noſſe, quod non nouit.*
*Non noſſe, quod nouit.*
*In ſenſu ſolo.*
*Sentire, quod ſentit.*
*Sentire, quod non ſentit.*
*Non ſentire, quod non ſentit.*
*Non ſentire, quod ſentit.*
*In vtriſque ſimul.*
*Noſſe ſentiréque, quod nouit & ſentit.*
*Noſſe ac ſentire, quod nouit & non ſentit.*
*Noſſe ac ſentire, quod ſentit & non nouit.*
*Non noſſe & non ſentire, quod nō nouit & nō ſentit.*
*Non noſſe & non ſentire, quod non nouit & ſentit.*
*Non noſſe & non ſentire, quod non ſentit & nouit.*
*Sunt et alia coniugationes, quæ quia ex his facile fieri poſſunt, omiſſa ſunt.*

quomodo dicis? SO. In hunc modum de illis à principio diſtinguendo dicamus: quòd iſtuc quod quiſpiam nouit eiúſque in animo monumentum ſeruat, nō ſentit aūt, exiſtimare nequit aliud quiddam eſſe eorum quod etiam nouit, imaginémq; illius ſeruat, nō ſentit aūt, contráq; quod nouit, putare eſſe quod nō nouit, cuiúſve nullam ſeruat imaginem: & quod non nouit, id inſuper quod non nouit: & quod non nouit, id quod nouit: aut quod ſentit, aliquid aliud eorum quæ ſentit opinari eſſe: ſiue quod ſentit, aliquid quod minimè ſentit: aut quod non ſentit, eorum aliquid quæ non ſentit: ſiue quod non ſentit quicquam ex his quæ ſentit. Multóque minus putare poteſt quod nouit, ſentitque, & ſeruat illius imaginem ſecundum ſenſum, eſſe aliud quiddam quod etiam nouit, & ſentit, & ſeruat eodem modo: aut quod nouit, & ſentit, & retinet, rectè quod nouit, putare: Siue quod nouit & ſentit, & ſimiliter retinet, id eſſe quod ſentit: ſeu quod neq; nouit, neque ſentit, id eſſe quod nec nouit etiá, neq; ſentit: Quódve neq; nouit, neque ſentit, id quod minimè nouit: Quódve neque nouit, neq; ſentit, id quod minimè ſentit. Hæc omnia talia ſunt, vt nemo in eis falſa vlla rōe opinari valeat. Reſtat ergo vt in quibuſdá huiuſmodi, ſi modò alicubi, tale quid accidat. TH. In quibúſná? Videamus, obſecro, an magis ex ipſis intelligam. Ná in præſentia haud aſſequor. SO. Vt in quib. nouit aliquis, ea putet eſſe alia quædam quæ & nouit & ſentit, vel quę non nouit, ſentit tamen, vel quę nouit, ſentitque, ea quæ & nouit & ſentit. TH. Nunc longè magis quàm ſuprà deficio. SO. Age, ſic iterum audi. Equidem agnoſcens Theodorum, eiúſque ſimulachrum memoria tenens, Theętetúmque ſimiliter, interdum quidem ipſos video, interdum non video, & tango quandoque, aliàs minimè, eodémq; pacto & audio, & aliis ſenſib. appręhédo: ſępe etiam ſenſu vos nullo percipio, ſed intra me ſcio nihilominus atque memini. THE. Prorſus. SOC. Hoc itaque primum ex his quæ expoſiturus ſum, animaduerte, quod poteſt quidem aliquis quæ nouit, non ſentire, poteſt etiam ſentire. TH. Sic eſt. SO. Nónne & quæ non nouit, ſæpe etiam neque ſentit, & ſæpe ſolummodo ſentit? TH. Verum hoc quoque. SOC. Vide an magis in præſentia id iam aſſequaris. Socrates dum Theodorū Theætetúmque agnoſcit, ſed neutrum videt, neque alio ſenſu illos percipit, nunquam ſecū ipſe Theætetum eſſe Theodorū opinatur. Quid ad hæc? TH. Vera ſunt. SO. Hoc ſanè primū erat ex his quæ dicebá. TH. Erat. SO. Alterū erat hoc, quod dum vnum è vobis agnoſco, ignoro alterū, & ſentio neutrum, nūquam eum quem cognoſco, illū eſſe quem ignoro, exiſtimo. TH. Probè. SO. Tertium verò iſtud: dum neutrum cognoſco, neutrúmq; ſentio, nunquá eum quem ignoro, alium quendá quem rurſus ignoro, eſſe arbitror. atq; ita deinceps omnia ſupradicta repetita ſimiliter puta: in quib. ego nunquam de te ac Theodoro falſa opinabor, neque cognoſcens neque ignorans vtroſque, neque vnum quidē noſcens, ignorans alterum. eadémque de ſenſib. ratio, ſi modò percipis. TH. Percipio equidē. SO. Reſtat itaque vt falſa in hoc opinemur, quando te Theodorúmq; cognoſcens, ſeruánſque in cætera illa effigie vtriuſque figuras lōgo ex tēpore, tanquam anulorum veſtrorum ſignacula, neque acutè cernens vtroſque, tēto proprium vtriuſque ſignum proprię viſioni attribuendo eius accōmodare veſtigio vt agnitio fiat: ſed aberro, & inſtar eorum qui cōmutatis calceis errant, cōmuto, & vtriſque viſionē ad alienum ſimulachrum transfero, & ſimilia quędam patior iis quę in ſpeculis tráſuersò reſultant, cùm aſpectus dextera in ſiniſtra cōmutat. Atque ita decipior, naſcitúrque aliena opinio, &c. i. quod falſa opinari vocatur. THE. Omnino, ô Socrates, opinionis paſſio talis eſt, qualis ea quam dicis affectio. SO. Præterea quum vtroſque cognoſcens, vnum inſuper ſentio, alterum minimè, cognitionem verò alterius nō ſecundum ſenſum habeo, quod ſuprà ita dixi, nec tu me intellexiſti. TH. Nō certè. SO. Hoc tamen dicebam, quod qui agnoſcit alterū atq; ſentit, & cognitionē ſecundū ſenſum ipſius habet, nunquá putabit ipſum eſſe alium quendá ab his quos agnoſcit quoque & ſentit, cuiúſve cognitionē ſecundum ſenſum habet. Erátne hoc? TH. Imò. SO. Prætermiſſum quodámodo fuit quod modò dicitur, cum in ſuperiorib. aſſereremus falsá opinionē cōtingere, quoties quiſpiam vtraque noſcens & videns, aut alio quodam ſenſu percipiens, & vtrorumque ſignacula tenens, non ſecundum ipſius proprium ſenſum vtrunque habet, verùm inſtar imperiti ſagittarij à ſigno procul aberrat, quod quidem mendacium nuncupatum eſt. THE. Nec iniuriâ. SO. Et quando vni quidem ſignaculorū adeſt ſenſus, alteri minimè, quod verò abſentis ſenſus eſt, præſenti adſcribit, omnino hæc cogitatio fallitur: & vt ſummatim dicam, circa illa quæ quis nunquam aut nouit, aut ſenſit, falli mentiríue, & falſam opinionem habere non poteſt, ſi quid modò veri nos nunc quidem loquimur. Cæterùm in quibus noſcimus, & ſentimus, in iis ipſis opinio vera vel falſa verſatur: quæ cum è conſpectu directóque nixu propria ſimulachra colligit, figurátque, vera eſt. Cùm verò tranſuerſo atque obliquo, falſa. THEO. Nónne præclarè hæc, ô Socrates, dicta ſunt? SOCR. Cùm hæc audieris, idem vehementius aſſeres. Vera porrò opinari pulchrum eſt, mentiri turpe. THE. Quidni? SOC. Hæc vtique hinc maximè fieri tradunt. Cum alicuius in animo cerea effigies illa profunda & multa, leniſque & probè ſubacta eſt, quæ per ſenſus influunt in hoc animæ cor inſculpta, quod Homerus, ceræ hanc ſimilitudinem innuens, κῆρ dixit, tunc quidem

Quibus non eſt opinio falſa, & in quibus eſſe videtur.

Animæ cor.



quidem etiam his ſigna quæ accedunt, pura & ſatis profunda, ac diuturna fiunt. Ac primò quidem dociles ſūt & acuti, deinde etiam memores, poſtremò ſenſuum ſimulachra non commutant, vnde vera nimirum opinantur. Nam cum ſint ea perlucida & ampla in regione, velociter diſtribuunt, diuidúntq; in propriam effigiem ſingula, quæ quidem exiſtentia veraque vocantur, viríque tales ſapientes eſſe dicuntur. an nō idem tibi videtur? TH. Mirum in modum. SO. Quando igitur denſum alicuius eſt cor, quod ſapientiſſimus Poeta laudauit, vel cùm lutulentū, nec ex defecata cera, vel molle nimis, vel durum, nō rectè omnino ſe habet. Nam mollis nimium cera celeres quidem ad percipiendum efficit, ſed eoſdem obliuioſos. Dura verò contra, diu memores, ſed ineptos tardóſque ad percipiendum: & qui denſam & aſperam lapideámque, vel terream, vel feculentam habent, obſcura ſimulachra continent, obſcura quoque qui duram: profunditas quippe non adeſt. Obſcura præterea qui molliorem, ná ex confuſione facilè euaneſcunt: quòd ſi præter hæc, inuicem quoq; congeſta ſint, ob ſedis ipſius anguſtiam, ſi quidem exigua ſit animula, obſcuriora quoque illis ſimulachra fient. Homines ergo huiuſmodi omnes, quales deſcripſimus, ad opinionem falſam proni redduntur. Ná quum quid vidēt, aut audiunt, aut cogitant, quia ſingula ſingulis mox reddere nequeunt, tardi ſunt, præuaricantúrque: nam peruersè vident plurima, audiúntque, & aliud ſæpe pro alio cogitádo decepti concipiunt: atq; hi falſi, mentientes, ignari vocantur. TH. Rectiſſimè omnium, ô Socrates, loqueris. SOC. Fatendum igitur falſas hominib. opiniones ineſſe. TH. Valdè. SO. Et veras inſuper. TH. Et veras. SO. Iam vtiq; ſatis conſtare putandum duas opiniones eſſe. THE. Magnopere. SOCRA. Importunus reuera moleſtúſque admodum, ô Theętete, vir garrulus eſſe videtur. TH. Quorſum hæc dicis? SO. Ruditatem meam, ac vt verè dicá, garrulitatem meam moleſtè ferens. nam quod aliud quiſquam nomen imponat ei, qui ob ingenij tarditatem ſermones ſurſum deorſum vertit, quum perſuaderi nequeat, & tá quàm hebes expedire diſputationem omnino nullá valeat, & dubitationes euadere? THE. Tu verò quid moleſtè fers? SO. Non tantum ægrè patior, verum & dubitaui quidnam reſpondeam, ſi quis ita quęſierit, ô Socrates, reperiſti iam opinionem falſam nō inter ſe in ſenſib. nō in cogitationib. ſed in ſenſus & cogitationis congreſſu conſiſtere? At ego fatebor, vt puto, gloriabundus, quaſi egregium quiddam inuenerimus. TH. Mihi quidem videtur, ô Socrates, haudquaquam turpe eſſe quod nunc oſtenſum eſt. SOC. Nunquid igitur, inquiet ille, hominem quem cogitamus duntaxat, videmus verò nequaquam, equum eſſe nunquam opinabimur, quem in præſentia nec videmus, nec tangimus, verùm ſolummodò cogitamus, nihilque aliud circa illum ſentimus? Hęc equidem, vt arbitror, aſſerere me fatebor. THE. Et meritò. SO. Tum ille. Vndecim quæ quis ſolum cogitat, ſecundum hanc rationem, nunquam putabit eſſe duodecim, quæ etiam ſolummodò cogitat. Quid ad hæc reſpondes? TH. Reſpondebo, quod videns aliquis aut tangens forſitá vndecim, duodecim eſſe putaret: quę tamen in cogitatione habet, nunquam ſimiliter iudicaret. SO. Quid porrò, inquit, cenſes aliquem apud ſeſe cogitaturum quinque & ſeptē, non homines inquam, quinque & ſeptem, nec aliud quicquam eiuſmodi, ſed ipſa quinque & ſeptem quę diximus ibi in effigie monumenta eſſe, & falſa in illis opinari poſſe neminem. Hęc inquam, ſi qui ita conſiderent ſecum, ipſi perquirentes quot ſunt, nónne illorū aliqui vndecim, aliqui duodecim iudicabunt? Aut omnes duodecim eſſe illa dicent, atque putabant? TH. Nō per Iouem, verùm plerique vndecim: & ſi quis maiori de numero quærat, magis fallitur. Arbitror.n. te magis de omni numero dicere. SO. Rectè ſentis. Animaduerte igitur, num & hoc accidat, hoc eſt, vt ipſa duodecim quæ in effigie ſunt, vndecim eſſe quis putet. TH. Videtur. SO. Nónne hoc ad ſuperiora reuoluitur? qui enim id patitur quod nouit, aliud quiddam quod ſimiliter nouit eſſe cenſet, quod tanquàm impoſſibile ſuprà reſpuimus. Et ex hoc ipſo confiteri quemlibet cogimus, falſam opinionem non eſſe, ne vnus atque idem eadem ſcire ſimul atque neſcire cogatur. TH. Vera loqueris. SO. Ex his iam conſtat opinionem falſam aliter eſſe definiendam, quam cogitationis ad ſenſum permutationem. Nam ſi ita eſſet, nunquam in ipſis cogitationib. falleremur. Nunc autem vel nulla eſt opinio falſa: vel ſi qua eſt, quæ quis nouit, vt ignoret ſimul fieri poteſt. Vtrum potius eligis? THE. Ambiguam, ô Socrates, electionem propoſuiſti. SO. Ambo quidem admittere ratio vetare videtur. Veruntamen audendum omnia. Quid ſi pudorem deponere audeamus? THE. Quo pacto. SO. Auſi quid ipſum ſcire ſit pronunciare. THE. Cur hoc impudens? SOCR. Haud ſatis aduertiſſe videris, quod omnis nobis à principio ſermo, inueſtigatio ſcientiæ fuit, tanquam quid ipſa ſit ignoraremus. THE. Teneo. SOCRAT. Nónne impudentis animi eſt, vt ſcientiam ignorantes, quid ſcire ſit, oſtendant? verùm, ô Theætete, iampridem à puritate diſputandi longè vagamur. millies enim diximus hæc, cognoſcimus, non cognoſcimus, ſcimus, neſcimus, quaſi aliquid inuicem intelligamus, cuius interim ignoremus ſcientiam. Ergo & nunc quoque, ſi placet, vocabulis iſtis vtamur, ignorare ſcilicet, & intelligere, vt illis vti conuenit, ſi quidem ſcientiæ expertes ſimus. THE. At quo pacto his ſublatis, ô Socrates, diſputare valeres? SOC. Nullo, dum qualis ſum, maneo: poſſem tamen quoquo modo, ſi contētioſus eſſem. Et nunc ſi quis talis adeſſet, abſtinere ab his vocabulis profiteretur, & nos ab his quæ ipſe narro, vehementer deterreret. Poſtquam verò ſimplices & ignaui ſumus, viſne proferre audeam ſcire ipſum quale ſit? Mihi enim operæpretium eſſe videtur. THE. Aude per Iouem. Nam his tibi vtenti veniam dabimus. SOC. Audiſtin' quid hoc tempore ſcire dicant eſſe? THE. Fortè, non tamen in præſentia memini. SOC. Scientiam habere, hoc eſſe dicunt. THE. Sic eſt. SOC. Nos autem paulùm permutantes, ſcientiam poſſidere dicamus. Quæres fortè, quónam hoc ab illo differat? nihilo forſitan. quod autem videtur mihi, id poſtquam audiueris, mecum examinato. THE. Modò poſſim. SOCRAT. Haud ſanè poſſidere idem quod habere videtur: ceu ſi quis empta veſte, illam ſeruans, & vti arbitratu ſuo potens, non ferat, habere quidem illam minimè confiteremur, poſſidere verò. THE. Et rectè quidem. SOC. Vide præterea vtrum fieri poſſit, vt qui ſcientiam ſimiliter poſſideat, non habeat: perinde ac ſi quis ſylueſtres aues, ſiue columbas, ſiue quaſuis alias venatus, auiario domi conſtructo nutriat, quodammodo habere ſemper illas dicetur, quia poſſidet. THE. Sanè. SOC. Quodammodo verò non habere, ſed pote-

Qui memores & acuti.

Qui immemores.

Qui veloces & qui tardi ad percipiendum.

Qui proni ad opinionem falſam.

Qui ignari.

Scire quid ſit.

Aliud eſt ſcientiā habere, aliud vti & poſſidere.

ſtatem illi quidem eſſe, cùm in columbario eas incluſerit, quoties velit capere, & habere quamlibet ad votum ac rurſus dimittere:& hoc illi licere facere, quotieſcunque libuerit. THE. Ita eſt. SOC. Rurſus quemadmodũ ſuprà in animis neſcio quod figmentum cereum machinati ſumus, ita & nunc in qualibet anima auiarium quoddã omnis generis auium fabricemus: quarum aliæ ſeorſim ab aliis diſcretis gregibus peruagentur, aliæ numero paucæ, nonnullæ ſolæ paſſim quocunque contigerit, volitent. TH. Fiat. quid tum poſteà? SOC. Hanc caueam in pueris vacuam eſſe dicamus, loco verò auium ſcientias intelligamus:& quiſquis ſcientiam nactus, hoc coercuit ambitu, hunc inueniſſe didiciſſéque rem ipſam cuius ſcientia eſt, & hoc ipſum eſſe ſcire. THE. Eſto. SO. Deinde rurſus quamcunque velit ſcientiam aucupari captámque habere, iterúmque dimittere: hęc inquam, omnia quibus exprimenda nominibus ſint, conſidera. nunquid eiſdem quibus anteà, cùm acquiſita duntaxat poſſidebantur, an aliis? Hinc fortè clarius me intelliges. Arithmeticam artem vocas? THE. Voco. SOCR. Hanc ſuppone ſcientiarum omnis paris & imparis aucupium eſſe. THE. Suppono. SOC. Hac arte arithmeticus ipſe ſcientias numerorum quaſi mancipia quædam ſubiectas habet, & aliis tradit. THE. Prorſus. SO. Eúmque qui tradit, docere dicimus: qui verò accipit, diſcere: & eum qui habet, ex eo quòd in ipſa cauea poſſidet, ſcire. THE. Maximè. SO. Quæ ſequuntur diligenter animaduerte. Qui perfectus arithmeticus eſt, nónne omnes ſcit numeros? omnium quippe numerorum in eius animo ſcientiæ inſunt. THE. Nihil obſtat. SO. Nónne hic interdum vel ſecum ipſe interna, vel externa quædam quæ numero conſtant, dinumerat? THE. Quidni? SO. Numerare autem nihil aliud ponemus, quam conſiderare quantus quiſq; ſit numerus. TH. Nihil aliud certè. SO. Quod ergo ſcit, tanquam neſcius conſiderare videtur, is quem ſcire omnem numerum confeſſi ſumus audis ambiguitates huiuſmodi? THE. Equidem. SO. Cùm columbarum poſſeſſioni & aucupio comparauerimus, duplex aucupium eſſe dicemus: vnum ante acquiſitionem poſſidendi gratia: alterum poſtquam acquiſiuit poſſeditque, gratia capiendi manúq; tenendi illa ipſa quę quis diu poſſedit. Atque ita quorum iampridẽ ſcientiis diſcendo pręditus eſt, quæue anteà nouit, ea iterum diſcere poteſt, reſumens cuiuſque ſcientiam, & tenẽs: cogitatione ſcilicet, quam poſſidebat quidem anteà, in manu aũt non habebat. THE. Vera narras. SO. Propterea paulo antè quærebam, quomodo nominibus eſt vtendum, cùm de iis loquimur, vtputa quando arithmeticus numeraturus eſt, vel lecturus grammaticus. Tunc.n. ſciens, iterum ſecum ipſe quę ſcit, diſcere tentat. THE. At abſurdum eſt hoc, ô Socrates. SO. An fortè dicendum quæ neſcit, ea vel numerare, vel legere, cum ipſi iam literarum omnium vel numerorum intelligentiam tradiderimus? THE. Hoc quoque abſurdum. SO. Vis ergo dicamus nihil curare nos quomodocunque nominib. ſciendi diſcendique quiſque vtatur? Poſtquam verò determinauimus aliud quiddã eſſe ſciẽtiam poſſidere, aliud habere, quod quis poſſidet, ne poſſideat, fieri nõ poſſe dicimus. Quapropter nunquam accidit, vt aliquis quod ſcit, idem & neſciat. Falſam tamẽ opinionem circa idipſum accipi poſſe. Nam accidere poteſt, vt ſcientiam vnius pro alterius ſciẽtia capiamus, quando aliquis noſtrûm vnam quandã ex internis ſcientis aucupans, pro illa aliam præuolantem deceptus appræhendit. Veluti cùm vndecim duodecim eſſe putat, ipſorũ vndecim ſcientiam loco ſcientiæ ipſorum duodecim, cùm vtraque intus maneat, capiens quaſi pro columba palũbem. TH. Veriſimile id quidem. SO. Cum verò quam affectat, apprehendit, tũc expertem eſſe mendacij, & ea quæ ſunt opinari dicendum. Et hoc modo verã & falſã opinionem exiſtere, nihilque ex iis quæ nos ſuprà turbabant, impedimẽto nobis fore. Fortè mihi aſſentieris, an quid ages? TH. Aſſentiar. SO. Iã diſcrimen illud euaſimus, quo neſcire aliqui quę ſciunt, cogebantur. Nam quę poſſidemus, ne poſſideamus nõ accidit, neq; ſi fallamur, neq; ſi verè iudicemus. Veruntamẽ aliud quiddã grauius mihi videtur. THE. Quidnam hoc? SO. Si ſcientiarum commutatio, falſa fiat opinio. TH. Qui iſthuc? SO. Primum quidem, nónne valdè abſurdum eſt, vt qui rei cuiuſdam ſcientiam habet, eam ipſam ignoret, nõ ignorãtia quidem, ſed ſua ipſius ſcientia? Deinde rem hanc aliam quandam, & contrà illam hanc eſſe exiſtimet, quomodo non pręter rationem eſt, quòd præſente ſcientia animus cognoſcat nihil, ignoret omnia? Enimuerò ſecũdum hanc rationem nihil prohibet, quin ignorantia præſens noſſe quicquam efficiat, cæcitáſque videre, ſi ſcientia ignorare quenquam effecerit. TH. Haud rectè forſitan, ô Socrates, aues induximus, cùm ſolas in animo ſciẽtias poneremus: oportebátque inſcitias quoq; vnà cum ſcientiis in animo conuolantes inducere, & aucupantem hominem nõnunquam ſcientiam, ſæpe inſcitiam circa idem accipientem: cúmque in ſcientiam incurrit, vera opinantem: cum in ignorantiam, falſa. SO. Difficile eſt te non laudare Theętete: quod tamẽ dixiſti, iterum animaduerte. Eſto.n. vt ais. Qui in ignorantiam incidet, falſa, vt ais, opinabitur: nónne? THE. Certè. SO. Non tamen falſa ſe opinari putabit. THE. Non certè. SO. Sed vera potius, & tanquam ſciens afficietur ad illa in quibus errat. THE. Cur non? SO. Et idcircò ſcientiam nactum ſe venando, non inſcitiam arbitrabitur. THE. Patet. SO. Iam lõgo quodam circuitu in primam rurſus dubitationem relapſi ſumus. quippe contentioſus redargutor ille ſubridens, dicet, Vtrum, ô boni viri, vtranque noſcens aliquis ſcientiam & inſcitiam, quam nouit, aliam quandam ab ea quam etiam nouit, eſſe cẽſet? aut neutram noſcens, quam non nouit, aliam ab ea quam nec nouit? aut vnam cognoſcens quidem, alteram minimè, quam nouit, eam eſſe quam nõ nouit? vel contrà quam non nouit, eam eſſe quam nouit? Vel rurſus mihi dicetis, ſcientiarum & inſcitiarum ſcientias eſſe, quas qui poſſidet, in aliis quibuſdã ridiculis caueis ſiue cereis figmentis includens, quatenus poſſidet, ſcit, etiam ſi in promptu non habeat. Atque ita cogemini in infinitum circa idem reuolui, nihil proficientes. Quid ad hæc, ô Theætete, reſpondebimus? THE. Per Iouem, ô Socrates, quid reſpondendum ſit, neſcio. SO. Nónne ratio nos, ô puer, rectè & increpat, & admonet, non rectè falſam opinionem prius quàm ſcientiam inueſtigaſſe, & indiſcuſſam ſcientiam reliquiſſe? impoſſibile aũt eſt iſta cognoſcere, antequam ſufficienter ſcientia definita ſit. TH. Neceſſarium, ô Socrates, quod ais in pręſentia aſſerere. SO. Quid ergo, à principio rurſus de ſcientia diſſeremus? Nondum enim dicendo defeſſi ſumus. TH. Non certè, ſiquidem ipſe nõ renuis. SO. Dic age, quo pacto eã definiẽtes, nobiſipſis minimè aduerſabimur? THE. Quemadmodum ſuprà contendimus.



dimus. nihil enim aliud habeo. SO. Quomodo ſuprà? THE. Veram opinionem ſcientiam eſſe volebam. Nam verè opinari procul eſt ab errore:& quę à vera opinione proficiſcuntur, decora omnia bonáq; ſunt. SOC. Qui, ô Theætete, in tranſeundo flumine præit ſequentib. cum interrogant quàm alta ſit aqua, ipſa oſtendet, inquit. Quod ſi & nos ingreſſi perquiramus, forte impedimentũ ipſum quod quæritur, demonſtrabit, manentib. nobis nihil patebit. TH. Probè loqueris, eamus iam quęſituri. SO. An non breuis inueſtigationis hoc eſt? Ars etenim vniuerſa argumento nobis eſt ſcientiam id minimè eſſe. TH. Qua ratione? quæue hæc facultas? SO. Eorum qui pręcæteris ſapientes ſunt, quos oratores & cauſidicos vocant. Hi ſiquidem arte ſua perſuadent, non docent. inducunt enim auditores, vt quæ ipſi cupiunt, opinentur. An tu aliquos adeò in docendo vehementes exiſtimas, vt cũ latrociniis aliiſq; iniuriis nulli teſtes interfuerint, tamẽ cõmiſſorum ſcelerum veritatem ad aquam paucam doceant? THE. Nullo modo docere illos, ſed perſuadere puto. SO. Perſuadere autẽ, nónne idem aſſeris quod & opinionem inducere? THE. Idem prorſus. SO. Nónne quando iudices iuſtè perſuadentur in his quæ ſolus ille qui vidit, cognoſcit, aliàs aũt nequaquã, tunc ipſa ex auditu iudicantes, verámque opinionem nacti abſque ſcientia, rectè iudicat ea in quib. perſuaſi ſunt, ſi modò benè iudicant? TH. Omnino. SO. Si tamen idem eſſet, ô amice, opinio vera iudiciúmque & ſcientia, nunquam iudex ille ſummus abſq; ſcientia rectè opinaretur. Nunc autem vtrunque diuerſum quiddam eſſe videtur. THE. Quod ab aliquo, ô Socrates, de ſcientia quondam audiui, oblitus eram, ſed iam reminiſcor. Inquit autem opinionem veram cùm ratione ſcientiam eſſe, ſine ratione, expertem ſcientię: & quę ratione carent, ſciri non poſſe: quæ verò rationem habent, ſciri. SOCR. Quàm præclarè loqueris! Sed hæc ipſa quæ ſciri poſſunt, & quæ non, dic quomodo diſtinguebat, vt videamus vtrum tu & ego ſimiliter acceperimus. THE. Inuenturúſne ſim ignoro, fortè verò exponente alio quodam aſſequerer. SOC. Audi igitur pro ſomnio ſomnium. ego quoque accepiſſe à quibuſdam mihi videor prima ipſa velut elementa ex quibus homines & alia componuntur, rationem non admittere. Nam vnumquodque illorum ſecundum ſeipſum nominare licet, appellare verò aliquid aliud minimè, neque quod eſt, neque quod non eſt. Iam enim eſſentiam ipſi vel non eſſentiam adhiberi contingeret. Oportet autem nihil apponere, ſi quis illud ipſum ſolùm dicat. Etenim neque ipſum, neque illud, neque vnumquodque, neque ſolum, neque iſtud, neque cętera talia adhiberi volũt. Hæc.n. circuncurrẽtia omnib. adhiberi, & alia quædam eſſe aiunt præter illud cui ſunt adiecta. Oportere autẽ ſiquo modo poſſet ipſum dici, rationémque propriam admitteret, ſeorſum ab aliis omnib. ipſum dici. Nunc aũt nullum exprimis oratione poſſe proferri. nihil enim aliud ipſi quàm nomen adeſſe, ſolúmque nomen habere. Quę verò ex illis compoſita ſunt, quemadmodum ipſa copulantur, ſic & illorum nomina copulata orationem fieri. Nominum quippe copulationem orationis eſſe ſubſtantiam. Quocirca elementa ſine oratione rationéue, & incognita eſſe, ſenſibus tamen percipienda: ſyllabas autem & cognoſci & diſci poſſe, & vera opinione compræhendi. Quando ergo abſque ratione opinionem de aliquo verã aliquis adipiſcitur, vera quidem de illo eius ſentire animum ferunt, noſſe verò nequaquam. Nam eum qui accipere & reddere rationem nequit, inſcium eſſe. Cùm verò rationem cõſequitur, hæc omnia cognoſcere poſſe, perfectámque ſcientiam adipiſci. Sic ne & tu inſomnium, an aliter audiuiſti? THE. Sic omnino. SOC. Num tibi id placet? & hoc pacto opinionem veram vna cum ratione ſcientiam aſſeris? THE. Et maximè quidem. SO. Sicne Theætete nos hodie id cõpræhendimus, quod olim ſapientes quàm plurimi inueſtigantes, antequam inuenirent conſenuerunt? TH. Mihi quidem, ô Socrates, quod modò dictũ eſt, bene dictum eſſe videtur. SO. Et meritò. nam quę ſcientia abſque oratione rectáque opinione vnquam eſſe poterit? Vnum tamen ex dictis mihi diſplicet. THE. Quod iſtud? SO. Quod ſanè magnificentius dici videbatur, elementa ignota eſſe, ſyllabarum autem genus notum. THE. Nónne rectè? SOC. Aduertendum profectò. Nam velut vades ſermonis exempla ipſa habemus, quibus ille vſus, hæc omnia dixit. THE. Quænam? SOC. Literarum elementa & ſyllabas: an putas aliò intuentem, hæc dicere illum qui dicit quæ ipſi narramus? THE. Non ad alia certè, ſed ad iſta duntaxat. SO. Ea igitur recenſentes examinemus. imò verò noſmetipſos, ſicne an non ſic literas didicimus? Reſponde ad hoc primum, an non ſyllabę rationem definitionémue habent, elemẽta verò minimè. TH. Fortè. SO. Mihi quoque omnino videtur. Si quis ergo ita de prima Socratis ſyllaba percõtetur, ô Theętete, dic quid eſt? Quid potiſſimum reſpondebis? THE. Quòd S, & O. SO. Habes ergo hanc ſyllabæ rationem. THE. Equidem. SO. Age, dic præterea ipſius S, rationem. THE. At quo pacto quis elementi elementa referre poſſet? Etenim ipſum S, ô Socrates, mutarum literarum ſonus quidam eſt ſolum lingua veluti ſibilante: ipſius autem B, neque vox, neque ſonus, ita neque plurimorum elementorum. Quocirca rectè admodum abſque ratione eſſe dicuntur, è quib. ſeptem illa notiſſima vocem habent, rationem verò nequaquam. SOC. Hoc itaque, ô amice, circa ſcientiam rectè aſſeruimus. THE. Videmur. SO. Quid verò cùm diximus ignotum elementum, ſyllabã eſſe notã, nunquid rectè conſtituimus? THE. Probabile eſt. SOC. Syllabam vero vtrum elementa vtraque eſſe dicimus? vel etiam ſi plura inſint quàm duo, omnia eſſe? An potius ideam vnã ex ipſis compoſitis genitam? TH. Cuncta dicere mihi videmur. SOC. Aſpice igitur circa duo, S, & O, ſi vtraque prima mei nominis ſyllaba ſunt, quiſquis ipſam nouit, vtraque noſcit. TH. Quidni? SO. Ergo S, & O, cognoſcit. TH. Planè. SO. Quid porro, ſi vtrũq; ignoret, & neutrum noſcens ambo cognoſcet? TH. Et abſurdum, & præter rationem hoc eſſet. SO. Verũtamen ſi neceſſarium eſt vtraque nõſſe, quãdoquidem ambo quis nouerit, ſequitur vt neceſſe ſit eum elementa prænoſſe, qui ſyllabam quãdoque ſit cogniturus, atque ita nobis pulcher ille ſermo effugiens elabetur. TH. Et repẽtè nimium. SO. Neque.n. bene illum cuſtodimus. Oportebat fortè ſyllabã nõ elementa ponere, ſed vnã quandã ex illis ſpeciem conſtitutã, quę ideam vnã ſuiipſius habeat, & ab elementis differat. TH. Sic prorſus, ac fortè hoc modo potius quàm illo ſe habet. SO. Quamobrem conſiderandum eſt diligenter, neque ita ignauè ſermonem tam magnum, támque præclarum prodi decet. TH. Non profectò. SOC. Eſto igitur ſyllaba, vt modo dicebamus, idea vna ex ſingulis congruentibus elementis, tam in li-

Orationis ſubſtantia.

De literarũ elementis & ſyllabis.

teris,quàm in cæteris omnibus facta. THE. Prorſus.
SOC. Nunquid partes illius eſſe non oportet? THE.
Cúrnam? SO. Quoniam cuiuſcunque partes ſunt,to-
tum neceſſe eſt partes omnes exiſtere. an totúvnam
quandam ſpeciem ex partibus factam vocas, ab om
nib. partibus differentem? TH. Equidem. SO. Omne
verò & totum idémne,an differens vtrunque vocas?
TH. Quanquam nihil habeo certi,tamen quia pró-
ptè reſpondere iubes, periculum faciens aio differ-
re. SO. Promptitudo,ô Theætete,recta. vtrum verò
& reſponſio recta, conſiderandum. THE. Profectò.
SOC. Nónne ſecundum hunc ſermonem totum &
omne differunt? TH. Certè. SO. Quid porrò? omnia,
& omne,num aliquo differũt? Veluti cum dicimus,
vnum, duo, tria, quatuor, quinque, ſex,vel bis tria,
vel ter duo , aut quatuor ac duo , aut tria duóque &
vnum , aut quinque & vnum vtrum in his omnib.
idem an aliud dicimus? TH. Idem penitus. SO. Aliúd
ne quàm ſex? THE. Nihil aliud. SO. Nónne in vno
quoque loquendi modo omnia ſex inuenimus? TH.
Ita. SOC. Rurſus autem non vnum aliquid dicimus,
dum dicimus omnia? TH. Neceſſe eſt. SO. Nũ aliud
quàm ſex? TH. Nihil aliud. SO. Ergo in his quæ nu-
mero conſtant, idem eſſe omne & omnia dicimus.
TH. Sic apparet. SO. Sic vtique de ipſis dicamus: iu-
geri numerus, & iugerum idem, nónne? TH. Idem.
SO. Et ſtadij numerus ſtadiúmque ſimiliter? TH. Et
hoc. SO. Exercitus quoque ipſius numerus & exer-
citus ipſe,cæteráque huiuſmodi eodem pacto? Nu-
merus.n.omnis exiſtens omnè vnumquoque illorũ
eſt. TH. Sanè. SO. Singulorũ aũt numerus,num aliud
eſt quàm partes? TH. Nequaquam. SO. Quæcunque
igitur partes habent, ex partibus conſtant. TH. Ap-
paret. SO. Omnes aũt partes totum eſſe conceſſum
eſt,ſiquidem omnis numerus omne eſt. TH. Ita eſt.
SO. Totum itaque non conſtat ex partibus: omne.n.
eſſet, quandoquidem omnes eſſet partes. TH. Non
videtur. SO. Pars id quod eſt,an eſt alterius quàm to
tius? TH. Ipſius vtique omnis. SO. Strenuè Theætete
pugnas, ipſum omne nónne ex eo eſt omnè quòd
nihil deeſt? TH. Neceſſe. SO. Totum quoque nónne
eadem ratione totum,quia nihil abeſt? Cui verò ali-
quid deeſt, neque totum eſt, neque omne quod ex
eodem idem ſimul fiat. TH. Videtur mihi nunc to-
tum & omne nihil differre. SOCR. Nónne diximus
cuius partes ſint,totum,&omne,partes omnes eſſe?
TH. Planè. SO. Rurſus quod paulò antè tentauimus,
nónne ſi ſyllaba, eleméta nõ eſt, neceſſe eſt eam nõ
tanquã partes ſuas eleméta habere? aut ſi eadem eſt
cum illis , æquè ac illa cognoſci non poſſe? TH. Ita
certè. SO. Ne hoc accideret, aliud ipſam quàm illa
poſuimus. TH. Aliud. SO. Quid verò ſi elementa ſylla
bæ partes non ſunt,num alia quędam referre potes,
quæ partes quidem ſyllabæ, neque tamen illius ele-
menta ſint? TH. Nunquam ego partes vocarem quę
elementa non ſunt. Ridiculum quippe omiſſis ele-
mentis alia quærere. SO. Omnino igitur ſecundum
hanc rationem,ô Theætete,vna quædã impartibilis
idea ſyllaba eſſe videtur. TH. Videtur ſanè. SO. Num
recordaris amice,nos in ſuperiorib. admiſiſſe,quod
primorum, ex quib. alia componuntur,ratio non eſ
ſet,ex eo quòd ipſum ſecundum ſeipſum vnũquod-
que ſimpliciter exiſteret, neque ipſum eſſe de illo
congruè dici poſſet,neque hoc,neque ita,quaſi hæc
extranea alienáque ſint, & hanc ipſam cauſam ob-
ſtare diximus, quò minus deſcribi cognoſcique poſ
ſit? TH. Memini. SO. Eſtne alia cauſa præter hanc,quę

*An omne & totum idem.*

*An omnia & omne,idem.*

vniforme,& impartibile aliquid ipſum faciat? Nam
ego nullam aliam video. TH. Non videtur. SOCR.
Nónne in idem cum illo ſyllaba quoque concurrit,
quádoquidem ſpecies eſt,nec habet partes, ſed idea
vna eſt? TH. Maximè. SOC. Si igitur multa elemen-
ta ſyllaba eſt,& totum quiddam,eiúſque partes iſta,
ſimiliter & ſyllabæ & elementa cognoſci deſcribi-
que poſſunt: quippe cùm partes omnes idem quod
& totum eſſe conſtiterit. TH. Prorſus. SOCR. Si au-
tem vnum quiddam,& ſimplex, æquè ſyllaba atque
elementum definitionis cognitioniſque eſt expers.
Eadem enim cauſa talia hæc efficiet. TH. Aliter aſ-
ſerere nequeo. SOCR. Eius ergo ſermonem ne ad-
mittamus , qui dixerit ſyllabam quidem dici & co-
gnoſci poſſe , elementa verò nequaquam. TH. Non
certè , ſi huic rationi credimus. SOC. Quid ſi quis
contraria dixerit, an non potius illa concederes , ex
his quorum tibi ipſi in primis literarum rudimen-
tis conſcius extitiſti? TH. Quænam iſta? SOCR.
Quòd nihil aliud diſcere ſtuduiſti , quàm elementa
oculis auribúſque diſcernere , & ſingula ſecundum
ſeipſa notare , ne illorum poſitio vel cùm diceren-
tur,vel cum ſcriberentur,te turbaret. TH. Vera nar-
ras. SOCR. Citharìſtæ verò artem perfectè didiciſſe,
quid aliud eſt quàm vnumquenque tonum cuiuſ-
que chordæ dignoſcere? Hæc enim elementa muſi-
cæ quilibet appellaret. TH. Nihil aliud. SOC. Cùm
ergo elementorum , & ſyllabarum periti fuerimus,
velimúſque ex his ad alia coniecturam facere , aſſe-
remus profectò genus elementorum clariorem
principalioremque intelligentiam cõtinere quàm
ſyllabam , ad ſingulas diſciplinas abſolutè perci-
piendas. Et ſi quis notam ſyllabam,elementum na-
tura ignotum dixerit,vltro illum vel inuitum lude-
re putabimus. TH. Et maximè quidem. SOC. Cæte-
rùm alię quoque eiuſdem rei demonſtrationes ſint,
vt mihi videtur: propoſiti vero ne propter hæc ob-
liuiſcamur, quid ſcilicet de hoc iudicãdum ſit quod
dicitur , rationem ſi cum opinione vera coeat , per-
fectam ſcientiam eſſe. TH. Inquirendum omnino.
SOCRAT. Dic age , quid λόγον nobis hic ſignificet.
E tribus enim vnum quiddam ſignificare mihi vi-
detur. TH. E quibus? SOCR. Primum eſſe arbitror
cogitationem ſuam voce per verba nomináque ex-
primere , opinionem propriam in voce perinde ac
in ſpeculo & aqua monſtrantem. Nónne tale quid-
dam oratio tibi eſſe videtur? THE. Mihi vero. SO.
Eum qui hoc agit, loqui dicimus. Nónne hoc quiſ-
que facere poteſt? oſtendere ſcilicet ocyus aut tar-
dius,quid ſibi de ſingulis videatur? niſi fortè mutus
vel ſurdus natura ſit. Atque ita quicunque rectè ali-
quid opinantur , μετὰ λόγου opinari videntur. Ac
nunquam recta opinio ſine ſcientia erit. THE. Ve-
ra hæc ſunt. SOCRAT. Ne igitur facilè condem-
nemus eum, qui ſcientiam quod nunc diximus aſ-
firmauit , quaſi nihil dicat. Fortè enim non id vo-
lebat, ſed vt interrogatus quid vnumquodque ſit,
reſpondere per elementa interroganti poſſit. THE.
Quale id inquis, ô Socrates? SOCR. Quemadmo-
dum Heſiodus de curru dicit: Centum ligna cur-
rus, quæ quidem ego dicere haud poſſem , neque
tu etiam vt opinor. ſed ſatis nobis erit , ſi interro-
ganti quid eſt currus , reſpondere poterimus , ro-
tæ, axis, tabulæ , ſemicirculi , iugum. THE. Omni-
no quidem. SOCR. Ille autem fortè nos exiſtima-
ret tanquam interrogatos de tuo nomine , reſpon-
dentéſque per ſyllabam ridendos eſſe, rectè quidem
opin

*Genus elementorum clariorē intelligentiam quàm ſyllabam continere.*

*græcis λόγον rationem, orationem, definitionē ſignificat. vnde fuit Græca hic voce vtendum.*



opinantes dicentéſque quod dicimus, putantes aũt
grammaticos eſſe, & grammaticè habere ac dicere
Theęteti nominis rationem: hoc aũt non eſſe ſecun
dum ſcientiam loqui, antequam per elementa cum
opinione vera vnũquodq; quis determinet, quem-
admodum ſuprà dictum eſt. TH. Dictum proculdu-
bio. SO. Sic vtiq; & de curru nos rectam opinionem
habere. Eum verò qui cétum illa percurrere poteſt,
ipſius currus eſſentiam accipiens,rationem quoque
vnà cum vera opinione compręhendiſſe: & pro opi-
nante,artificioſum ac ſcientiæ compotem circa cur
rus eſſentiam euaſiſſe, per elementa totum determi
nantem? THE. Nónne bene tibi videtur,ô Socrates?
SO. Si tibi,ô amice,videtur,ac approbas hunc per ele
menta circa vnumquodque diſcurſum,rationẽ eſſe:
eum aũt qui per ſyllabas,aut maius quiddam ſit, eſſe
rationis expertem,volo mihi dicas,quò diligentiùs
conſideremus. THE. Approbo,& maximè quidem.
SO. Num ita,vt exiſtimes quemlibet cuiuſuis ſcien-
tem eſſe, quando vnum idémque nunc vnius eiuſ-
démque,nunc alterius eſſe,ei videatur? Vel quando
vnius & eiuſdem nunc hoc, nũc illud eſſe opinatur?
TH. Non per Iouem. SO. Num memoria excidit, in
diſcendis literis quòd tibi & aliis acciderunt hęc ſę-
pe? TH. Solitóſne dicis eiuſdem ſyllabæ nunc hanc,
nunc illam literam opinari? Eandémue literam aliàs
in ſyllabam propriam, aliàs in alienam referre? SOC.
Hæc inquam. TH. Per Iouem , nec oblitus ſum, nec
eos qui ſic affecti ſunt adhuc ſcire arbitror. SO. Quid
verò? Si quis eo in tempore Theætetum ſcribẽs Th,
& e,ſcribendum putet,ſcribátque: & rurſus Theo-
dorum ſcribere volens, Th, & e, ſcribendum putet
& ſcribat, nunquid ſcire illum dicemus primam ve-
ſtri nominis ſyllabam? TH. Paulò antè inter nos con
uenit,eum qui ſic inſtitutus eſt,nondum ſcire. SOC.
Quid prohibet hoc idem aliquem circa ſecundam,
tertiámque & quartam ſyllabam pati? TH. Nihil
omnino. SO. Nunquid tunc diſcurſum per elemen-
tum habens Theætetum recta cum opinione ſcri-
bet, quando ordine ſuo ſcribet? TH. Abſque dubio.
SOCR. Nónne adhuc inſcius, ſed rectè opinatus, vt
diximus? TH. Certè. SOC. Et rationem habens cum
opinione recta? nam diſcurſum per elementum ha-
bens,ſcripſit, quam rationem eſſe conſenſimus. TH.
Verum. SO. Eſt igitur,ô amice,quædam cum ratio-
ne opinio recta,quam ſcientiam appellare nondum
decet. TH. Apparet. SOCR. Per ſomnium itaque,vt
videtur,diuites facti fuimus,dum veriſſimam ſcien-
tiæ rationẽ habere conſideremus. TH. Aut nondum
vituperare debemus , fortè enim quiſpiam non ita
λόγον definiat: ſed reliquam è tribus ſpeciem eligat,è
quibus vnam quandam electurum diximus illum,
qui ſcientiam eſſe opinionem rectam cum ratione
aſſeuerabat. SOCR. Opportunè admonuiſti. Adhuc
enim ſpecies vna reſtat: prima quidem erat tanquam
idolum cogitationis in voce, ſecunda verò ad to-
tum per elementa proceſſus. THE. Tertiam autem
quid dicis? SOCRAT. Quod & plurimi dicerent,
poſſe videlicet quandam veluti notam aſſerre, qua
ab aliis omnib. id de quo agitur,differat. TH. Quam
mihi, cuiúſue notam, λόγον à te nunc dictum , dicere
potes? SOCR. Vt ecce de ſole,ſi velis,approbabis ar-
bitror, quòd luce præcellit omnibus, quæ circa ter-
ram in cœlo voluuntur. THE. Omnino. SOCR. Ac-
cipe cuius gratia hoc eſt dictum. eſt autem quod mo
dò referebamus. Si differentiam cuiuſque accipias
qua ab aliis eſt diſtinctum, definitionem vt quidam

*Eſt quædam opinio recta cum ratione quæ non eſt ſcientia.*

*Tres ſpecies rationis.*

*Quędam de definitione.*

tradunt,acceperis: quandiu verò commune aliquod
attigeris, de illis tibi ſermo ac λόγος erit,quorum com
munitas eſt. THE. Intelligo , ac rectè huiuſmodi
quiddam rationem vocari exiſtimo. SOCR. Qui au-
tem cum recta opinione differentiam qua quod-
que à quocunque ſeiungitur, accipit, idipſum dein-
de ſciet,quod prius opinabatur. TH. Conſentaneum
eſt. SOC. Nunc demum, ô Theætete,cùm primum
ad hanc quaſi quandam adumbrationem propius
acceſſerim , nihil omnino me in his intelligere ani-
maduerto. Quouſque verò eminus proſpiciebam,
dici mihi aliquid videbatur. THE. Quamobrem?
SOCRAT. Dicam ſi potero. Rectam equidem de te
opinionem habens , ſi tuam prætereà definitionem
accipio,te cognoſco: alioqui duntaxat opinor. THE.
Ita eſt. SOC. Definitio autem differentiæ tuæ inter-
pretatio erat. THE. Erat certè. SOC. Quando igitur
opinabar ſolùm , nihil eorum quibus es diſtinctus
ab aliis,cogitatione percipiebam. THE. Nihil vt vi-
detur. SOCRAT. Communia ergo quædam atten-
debam , è quibus nihil tu magis quàm alius quiuis
habes. TH. Neceſſario ſequitur. SOCR. Dic age per
Iouem,quo pacto tunc potius te quàm alium quem
libet opinabar? Pone vtique ita me cogitantem,
Theætetum eſſe illum, qui & homo eſt,& nares,&
os , & oculos habet , ſimilitérque reliqua membra.
Num cogitatio iſta efficit , vt Theætetum potius
quàm Theodorum animaduertam , vel (quod dici
ſolet) Myſorum vltimum? THE. Quinam? SO. Si ve-
rò non ſolum habentem nares , & oculos cogitem,
ſed & ſimum naſum,& prominentes oculos, nihilo
magis iterum te quàm me ipſum , & alios quicunq;
tales ſunt,opinabor. THE. Æquè ſanè. SOC. At verò
non prius Theætetum,vt arbitror,opinabor, quàm
figuram hanc ſimam,ab aliis quaſcunque vidi ſimis
figuris,per aliquod monumentum illius proprium
impreſſam mihi diſtinguam,aliáque ſimiliter,è qui-
bus tu conſiſtis: quæ quidem me cras etiam ſi in te
incidero , admonebit , & rectè de te opinari faciet.
TH. Vera loqueris. SO. Ergo circa differentiam pro-
priam,recta de vnoquoque verſatur opinio. TH. Ap
paret. SO. Quid deinde igitur erit,ſi vnà cum recta
opinione definitionem quoque aſſumamus? Ridi-
culum enim præceptum eſt, ſi qua ab aliis differat
quicquam, opinari iubet. TH. Quomodo. SO. Qui-
bus de quatenus ab aliis differant , rectè opinamur,
de iiſdem quatenus ab aliis differant, rectè opinio-
nem aſſumere iubet. Atq; ita oratio tua erit aut ſcu-
ticę,aut piſtilli,aut cuiuſuis circumuolutioni ſimilis,
ad hoc aũt præceptum nihil prorſus dicit. Cęci nan-
que præceptum rectius vocetur. Quoniam iubere
vt quæ habemus accipiamus , ad ea quæ opinamur,
diſcenda,cæci hominis mandatum eſſe videtur. TH.
Dic age quid modò quærebas? SO. Si dum rationem,
ô puer,accipere præcepit,noſſe pręcipit,non autem
differentiam opinari , dulcis ſanè res eſſet ratio , &
omnium quæ ad ſcientiam pertinent pulcherrima.
noſſe enim , accipere ſcientiam eſt. THE. Eſt profe-
ctò. SOC. Interrogatus itaque quid ſcientia ſit , reſ-
pondet eam eſſe opinionem rectam cum ſcientia
differentiæ. Rationis enim aſſumptio ſecundum il-
lum hoc eſſet. THE. Videtur. SO. Omnino fatuum
eſt,ſcientiam nobis quærẽtibus, opinionem rectam
cum ſcientia dicere,ſiue differentiæ, ſiue cuiuſcun-
que alterius ſcientia ſit. Neque ſenſus igitur,ô Theę
tete , neque opinio vera , neque cum opinione ve-
ra aſſumpta ratio ſcientia eſt. THE. Non, vt videtur.

*Differentia inter cognoſcere & opinari.*

*Vide Eraſm. in adag.*

ſo. Nunquid fœtus in nobis alius circa ſcientiam, ô amice, reſtat: an omnia iam peperimus? TH. Per Iouem plura quàm in me haberem, educente te protuli. SO. Nónne cuncta nobis hæc ars obſtetricia, vana, educationéque indigna nata fuiſſe oſtendit? TH. Omnino quidem. SO. Si igitur aliorum deinceps plenum fœcundúmque te fieri contendes, prægnánſque euades, melioribus plenus eris propter præſentem diſcuſſionem. quòd ſi fortè vacuus ſterilíſque manes, minus certè moleſtus familiarib. eris & moderatior & mitior, nequaquam quæ neſcis ſcire te putans. Tantùm quidem ars mea, nec aliud pręterea quicquam poteſt: nec ea noui quæ alij multi, quicunque magni atque mirãdi viri & ſunt, & fuerunt. Hanc verò obſtetriciam facultatem ego ac mater mea à deo ſortiti ſumus, illa quidem circa fœminas, ego autem circa adoleſcentes ingenuos atque honeſtos. Sed nunc iam eundum mihi eſt in Regis porticum: nam Melitus in iudicium me vocauit, Cras ſummo mane, ô Theodore, huc redibimus.

## IO PLATONIS, VEL, DE FVRORE POETICO.

### MARSILII FICINI ARGVMENTVM.

*PLato noſter, optime Laurenti, furorem in Phædro, mentis alienationem definit. Alienationis autem duo genera tradit. Vnam ab humanis morbis. Alteram à Deo prouenientem. Inſaniam illam, hanc diuinum furorem nuncupat. Inſania, infra hominis ſpeciem homo deiicitur, & ex homine brutum quodammodo redditur. Diuino furore ſupra hominis naturam erigitur, & in Deum tranſit. Eſt autem furor diuinus, illuſtratio rationalis animæ, per quam Deus animam à ſuperis delapſam ad infera, ab inferis ad ſupera retrahit. Lapſus animæ ab ipſo vno rerũ omnium principio ad corpora, per quatuor gradus efficitur, per mentem, rationem, opinionem, atq; naturam. Nam cùm in omni rerum ordine ſex gradus exiſtant, quorum ſummum tenet ipſum vnum: infimum corpus: media verò ſint quatuor quæ prædiximus, neceſſe eſt quicquid à primo ad vltimum labitur, quatuor per media cadere. Ipſum vnum rerum omnium terminus, & menſura, infinitatis & multitudinis expers. Mens multitudo quidẽ, ſed ſtabilis & æterna Ratio, multitudo mobilis, ſed finita. Opinio, multitudo mobilis infinita, ſed ſubſtantia punctiſq; vnita. Natura ſimiliter: niſi quod per corporis puncta diffunditur. Corpus autem infinita multitudo ſubiecta motui, & ſubſtantia punctis momentiſq; diuiſa. Hæc omnia reſpicit anima noſtra, per hæc deſcendit, per hæc & aſcendit. Vt enim ab ipſo vno, quod omnium principium eſt, producitur, vnitatem quandam ſortita eſt, quæ omnẽ eſſentiam eius, vires, actioneſq; vnit: à qua, & ad quam, ita cætera quæ in anima ſunt, ſe habent, ſicut à centro, & ad centrum circuli lineæ. Vnit verò non modò animæ partes inuicem, & ad totam animam, ſed animam totam ad ipſum vnum, rerum omnium cauſam. Vt autem à mente diuina dependet, rerum omnium ideas per mentem actu ſtabili contemplatur. Vt ſeipſam reſpicit, rationes rerum vniuerſales cogitat, & à primis ad concluſiones ratione diſcurrit. Vt corpus reſpicit, particulares rerum mobilium formas opinione concipit, eáſque percurrit. Vt materiam attingit, natura velut inſtrumento vtitur, quo vnit materiam, mouet, & format: vnde generationes, augmenta, eorumq; contraria proficiſcuntur. Cernis igitur quòd ab vno quod ſuper æternitatem, in æternã multitudinem labitur, ab æternitate in tempus, à tempore in locum atque materiam. Quare ſicut per quatuor deſcẽdit gradus, per quatuor aſcendat neceſſe eſt. Furor autem diuinus eſt qui ad ſuperna conuertit, vt in eius definitione conſtitit. Quatuor ergo ſpecies diuini furoris exiſtunt, primus quidẽ poeticus furor: alter myſterialis: tertius vaticinium: quartus amatorius affectus. Eſt autem poeſis à Muſis, myſterium à Dionyſio vaticinium ab Apolline, amor à Venere. Redire quippe ad vnum animus nequit, niſi vt ipſe vnum efficiatur. Multa verò effectus, eſt lapſus in corpus, in operationes varias diſtribuitus, reſpicienſq; ad ſingula. Ex quo partes eius ſuperiores penè obdormiunt, inferiores aliis dominãtur: illæ torpore, hæ perturbatione afficiuntur: totus verò animus diſcordia & inconcinnitate repletur. Poetico ergo furore in primis opus eſt, qui per muſicos tonos quæ torpent ſuſcitet, per harmonicam ſuauitatem quæ turbantur, mulceat: per diuerſorum denique conſonantiam, diſſonantem pellat diſcordiam, variaſq; partes animi temperet, neque ſatis hoc eſt. Multitudo n. adhuc in animo ſtat. Accedit ergo myſterium quod expiationib. ſacriſq; & omni deorũ cultu omnium partium intentionem, in mentem, qua deus colitur, dirigit. Vnde cùm ſingulæ animi partes ad vnam mentẽ redactæ ſint, iam totum quoddam vnum ex plurib. factus eſt animus. Tertio verò adhuc opus eſt furore, qui mentem ad vnitatem ipſam animæ caput reducat. Hoc Apollo per vaticinium efficit. Nam cùm anima ſupra mentem in vnitatem ſurgit, futura præſagit. Demum cum anima vnum facta eſt, vnũ inquam, quod in ipſa eſſentia animæ ineſt, reſtat vt ilico in vnum quod eſt ſuper eſſentiam, conuertatur. Hoc cœleſtis ipſa Venus per amorem, hoc eſt, diuinæ pulchritudinis deſiderium, boniq; ardorem explet. Primus itaque furor inconcinna, & diſſonantia temperat, ſecundus temperata, vnum totum ex partibus efficit. tertius vnum totum ſupra partes. quartus in vnũ quod ſuper eſſentiam & totum eſt, ducit. Primus bonum equum, id eſt rationem opinionemq; à malo equo, id eſt à phantaſia confuſa & natura, diſtinguit. Secundus malum equum bono, bonum aurigæ, id eſt menti ſubiicit. Tertius aurigam in caput ſuum id eſt in vnitatem mentis apicem dirigit. Poſtremus caput aurigæ, in caput rerum omnium vertit, vbi auriga beatus eſt, & ad præſepe, id eſt diuinam pulchritudinẽ ſiſtens equos, obiicit illis ambroſiam, & ſuper ipſam nectar potandum, id eſt viſionem pulchritudinis, & ex viſione lætitiam. Hæc quatuor furorum opera ſunt, de quibus generatim in Phædro Plato diſputat proprie verò de furore poſtremo, id eſt amore, in Sympoſio: de primo, hoc eſt furore poetico, in præſẽti dialogo qui Io inſcribitur: quem in Phædro ita definit: Poeticus furor, eſt occupatio quædam à Muſis, quæ ſortita lenem & inſuperabilẽ animã exuſcitat eam atque exagitat per cantilenas aliámque poeſim, ad genus hominum inſtruendum. Occupatio ſignificat raptum animæ & conuerſionem in Muſarum numina. Lenem dicit, quaſi agilem à Muſiſq; formabilem: niſi enim præparata ſit, non occupatur. Inſuperabilẽ, quia poſtquã rapta eſt, ſuperat omnia, & à nulla rerum inferiorum inquinari, vel ſuperari poteſt. Exuſcitat è ſomno corpora ad vigiliam mentis, ex ignorantiæ tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, ex oblinione lethæa ad diuinorum reminiſcentiam reuocat, exagitat, ſtimulat, & inflammat ad ea quæ contemplatur & præſagit carminibus exprimenda. Poſt definitionem addit, eum qui ſine furore Muſarum poeticas ad fores accedit, inanem eſſe ipſum atque eius poeſim, quaſi tanti ſit poeſis, vt abſque ſummo Dei fauore comparari nequeat. Eadem in Ione hoc tradit, & vnde ſit hic furor, & per quot deſcendat gradus edocet. Inquit autem in libro quarto de legibus Plato, Deum fortunam, & artem humana omnia gubernare. Quò fit vt poeſis vel Dei donum ſit, vel fortunæ ſors, vel artis opus. Quid illorum potiſſimùm verum ſit, Socrates cum Ione rhapſodo perquirit. Rhapſodus autem hoc in libro ſignificat recitatorem interpretemque, & cantorem carminum. Interpretabatur Io Homeri carmina, & coràm populo ad lyram canebat, atque ita erat affectus, vt alium poetam nullum præter Homerum exponeret, etiam ſi eadem quæ Homerus facilitate referret. Homeri autem omnia celeriter explicabat. Vnde ſic argumentatus eſt, Aut caſu profert Io quæ ſcribit Homerus, aut arte, aut afflatu diuino. Non caſu, quia non omnia ſed pauca quædam, & abſq; continuatione ordinéque interpretaretur. Non arte, quia quiſquis artem integram habet, quicquid eidem arti ſubiectum eſt, iudicat. Eidem verò ſtudio poetico ſubiecta ſunt Heſiodi aliorumq; poemata, cui Homeri, præſertim quæ de eiſdem tractant, quæ tamen Io, non percipit, cùm Homerum perfectè exponat. Ergo non arte iudicat. Reſtat vt inſpiratione diuina. Ex quo patet quòd interpres poetæ Io, & alij multi qui ſimiliter affecti ſunt, diuino inſtinctu alienam poeſim interpretantur. Quòd ſi ad percipiendam poeſim iam traditam humanum ingenium non ſufficit, multo minus ad inuentionem ſufficiet. Quare nec Homerus, nec alius quiuis reuera poeta abſq; cœleſti afflatu poeſim conſecuti ſunt. Quod & aliis medis Socrates hic oſtendit. Primò ſic, Omnes artes & ſcientias poetæ tradunt, ſed omnes didiciſſe humano ſtudio impoſſibile eſt, cùm vnicã ex parte percipere ſit difficillimum. Non igitur arte humana ſed diuina quadam infuſione proferunt. Cuius rei argumentum eſt, quod plerique vates, poſt quàm furoris remiſſus eſt impetus, quæ ſcripſerunt, non ſtatim intelligunt, cùm tamen rectè de ſingulis artibus in furore tractauerint, quòd ſinguli illarum opifices legendo diiudicant. Præterea ſæpe videmus rudẽ hominem, & ineptum ſubito in poetã bonũ euadere, & aliquid magnificum diuinumq; cantare. Magna verò in momẽto aſſequi. non humani ingenij eſt, ſed diuinitus inſpirari. Quæ in re perſpicuè deus oſtẽdit, nutu ſuo intelligentiam hanc infundi. Vtq; ita eſſe demonſtret, ſæpe ineptos quoſdã potius quàm vrbanos, inſanos potius quàm prudẽtes rapit, ne ſi acutis prudentibuſq; viris adhæc vteretur, humana ſubtilitate & induſtria fieri hæc exiſtimarentur. Cùm ergo nõ ſit à fortuna, nec ab arte poeſis, à Deo, & à Muſis tribuitur. Cùm Deum dicit, Apollinem ſignificat: cùm Muſas, ſphærarum mundi animas. Iupiter quidem mens dei eſt ab hac Apollo, mens animæ mundi, & anima totius mundi, octoq; ſphærarum cœleſtium animæ. quæ nouem animæ nouem Muſæ vocantur, quia dum cœlos harmonicè mouent, muſicam pariunt melodiam: quæ in nouem diſtributa ſonos, octo ſcilicet ſphærarum tonos, & vnum omnium cõcentum, nouem Sirenes Deo canentes producit. Quamobrem ab Ioue, Apollo, & Muſæ ab Apolline, id eſt, mente animæ mundi, chorus Muſarum ducitur. quia mens illa ſicut ab Ioue illuſtratur, ſic & animas mundi ſphærarumq; illuſtrat. Gradus autem quib. furor ille deſcendit, hi ſunt: Iupiter rapit Apollinem, Apollo illuminat Muſas, Muſæ ſuſcitant & exagitant lenes & inſuperabiles vatum animas. Vates inſpirati interpretes ſuos inſpirant. Interpretes auditores mouent. Ab aliis verò Muſis aliæ animæ rapiuntur, quia & aliis ſphæris ſyderibuſq; aliæ attributæ ſunt animæ, vt in Timæo traditur, Calliope Muſa vox eſt ex omnib. reſultãs ſphærarũ vocibus. Vrania, cœli ſtelliferi, per dignitatẽ ſic dicta. Polymnia Saturni, propter memoriã rerum antiquarũ quam Saturnus exhibet, & ſiccã frigidamq; cõplexionem. Terpſichore Iouis, ſalutifer. n. choro hominũ. Clio Martis, propter gloriæ cupiditatem. Melpomene ſolis, quia totius mundi temperatio eſt. Erato Veneris, propter amorẽ. Euterpe Mercurij, propter honeſtã in grauibus reb. delectationẽ. Thalia lunæ, propter viriditatem eius humore reb. exhibitam. Apollo itẽ ſolis eſt anima, lyra eius ſolis corpus: nerui quatuor motus eius quatuor, annuus, menſtruus, diurnus, obliquus: quatuor voces, neates, hypates, doriones, gemini: quatuor ſunt ſignorum triplicitates, ex quib. quatuor qualitates temporum producuntur. Orpheum quidem afflauit Calliope, Muſæum Vrania, Homerum Clio, Polymnia Pindarum, Erato Sapphõ, Melpomene Thamyram, Terpſichore Heſiodum, Thalia Maronem, Naſonem Euterpe. Linum rapuit idem qui & te iam nunc exagitat Phœbus optimè Laurenti, Phœbus inquam qui auo tuo Coſmo vaticinium dedit, parenti autem Petro arcum atq; medelas, tibi denique lyram & carmina.*

Quid rhapſodus.

### SOCRATES, IO.

IOnem ſaluere iubeo. Vnde nunc ad nos aduenisti? Nunquid ex Epheſo patria venis? IO. Nullo pacto, ô Socrates, ſed ex Epidauro ab Aſclepieis. SO. Nunquid & rhapſodorum, id eſt, eorum, qui poetarum carmina recitãt, certamen Epidaurij Deo inſtituerunt? IO. Non in his ſolùm, ſed in alio quoque genere muſicæ. SO. Quid igitur, non tu nobis iſtic decertaſti, & quomodo certaſti? IO. Prima, ô Socrates, certaminum præmia retulimus. SO. Probè inquis. Age vt in Palladis etiam celebratione victoriã conſequamur. IO. Fient hęc quidem, ſi deus voluerit. SO. Etenim, ô Io, artem veſtrã ſemper plurimi feci, quòd & arti veſtræ conueniat vt ornetis corpus, & quàm pulcherrimi ſemper appareatis, tum quòd oporteat in plurimis atq; bonis poetis, in Homero pręcipuè poetarũ omnium optimo diuiniſſimóq; aſſiduè verſari, neque carmina illius ſolùm, verumetiam ſenſa perdiſcere. Nunquàm. n. aliquis in rhapſodũ euaderet, niſi ea quæ à poeta dicta ſunt intellexerit. Nã poetę mẽtem interpretari rhapſodum apud auditores oportet: quod quidem rectè fieri nequit, ſi quis poetæ ſententiam ignorarit. Hæc verò omnia digna quæ æmulemur. IO. Vera dicis, ô Socrates: atq; ego quidẽ in hoc plurimùm elaboraui. præclariſſima ſanè præ cæteris de Homero me explicaturum profiteor, vt neque Metrodorus Lampſacenus, neque Steſimbrotus Thaſius, neque Glauco, neque aliquis vnquam veterum tot támque pręclara Homeri ſenſa quot ego, exponere queat. SO. Rectè, ô Io. Conſtat enim quòd nulla inuidia prohibebit quin hæc mihi aperias. IO. Et auditu ſanè dignum eſt, ô Socrates, quàm vehementer Homerum exornarim. Vndem ęquum eſſe cenſeo vt ab illis qui Homeri ſtudioſi ſunt, corona aurea coroner. SO. Otium profectò te audiendi quandoque nanciſcar: nunc autem ad hoc vnum mihi reſponde, vtrum circa Homerum ſolùm, an etiam circa Heſiodum & Archilochum id poſſis. IO. Nequaquam, ſed circa Homerum ſolum. ſatis enim mihi eſſe videtur. SO. Súntne aliqua de quibus Homerus & Heſiodus eadem referant? IO. Ac multa quidem eſſe arbitror. SO. Vtrum melius ea quæ dicit Homerus, an quæ dicit Heſiodus explicares? IO. Æquè de vtriſque, ô Socrates, in illis rebus in quibus eadem referunt. SOC. Quid autem in his de quibus non eadem dicunt? vtputa de vaticinio Homerus atque Heſiodus verba faciunt. IO. Et maximè quidem. SO. Et in quo poetæ iſti conſentiunt, & diſcrepant, quando de vaticinio loquuntur, vtrum ipſe melius quàm peritus vates aliquis explicares? IO. Vates melius. SO. Si autem vates eſſes, non illa tantùm in quibus conueniunt, verùm etiam in quibus diſſentiunt, exponere poſſes? IO. Patet. SO. Quid porrò? num circa Homerum vehemens facundúſque es? circa Heſiodum alióſque poetas minimè? An Homerus de aliis rebus agit, quàm de iis quę & alij poetæ tractant? Nónne multa quæ ad bellum, & quæ ad conſuetudines bonorum inuicem, malorúmque, priuatorum atque opificum attinent, enarrauit? Et de diis quemadmodum ſecum inuicem, & cum hominibus verſantur, déque affectionibus cœleſtibus? item & de his quæ apud inferos ſunt, tum deorum & heroum generationes cecinit? Nónne circa hæc omnis Homeri poeſis verſatur? IO. Vera, ô Socrates, loqueris. SOCR. Nónne eadem cæteri poetæ decantant? IO. Eadem certè, ſed non ita cæteri vt Homerus. SOCRAT. An fortè deterius? IO. Multò deterius. SOCR. Melius ergo Homerus? IO. Melius certè. SOCRAT. O Io, lepidum caput, cùm multi de numero verba faciunt, & eorum aliquis rectè dicit, nónne poteſt quiſpiam ea in re bene dicentem noſſe? IO. Poteſt. SOCRAT. Nunquid ille ipſe, qui malè dicentem noſcit an alius? IO. Ipſe idem. SOC. An non hic eſt qui arithmetica arte eſt præditus? IO. Profectò. SOCRAT. Cùm multi de cibis, quales ſalubres ſint, loquuntur, & aliquis rectè ea de re loquitur, vtrum alius quidam bene dicentem quòd rectè, alius malè dicentem quòd malẽ dicat, animaduertet? an vnus, & idem? IO. Idem proculdubio. SOCR. Quis hic? quod illi nomen? IO. Medicus. SOCRAT. Nónne ſummatim dicimus, cùm plures eadem de re loquuntur, quòd vnus atque idem tam illum qui malè, quàm illum qui benè loquitur internoſcet: & niſi eum qui in eadem re aberrat, cognouerit, nunquam eum qui rectè ſentit agnoſcet? IO. Profectò. SOCRAT. An non ipſe idem in vtriſque peritus eſt? IO. Prorſus. SOCR. Homerum atque alios poetas, è quorum numero eſt Heſiodus, & Archilochus, eadem referre aſſeris? non tamen eodem modo, ſed melius Homerum, alios autem deterius? IO. Et vera loquor.

Quę ſint explicata in omni Homeri poeſi.

SOC.